THEODORUS HINGST,

DE SPONDEIS ET ANAPAESTIS

Seinem hochverehrten Lehrer

Herrn Prof. Dr. C. Cichorius

in aufrichtiger Dankbarkeit

d. Verf.

DE SPONDEIS ET ANAPAESTIS IN ANTEPAENULTIMO PEDE VERSUUM GENERIS DUPLICIS LATINORUM

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

THEODORUS HINGST
ZSCHOCHAVIENSIS

LIPSIAE MCMIV
TYPIS F. MITZLAFFII RVDOLPHOPOLITANI

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione Marx, Lipsius

Lipsiae die XIX. m. Februarii a. MDCCCCIV

Procancellario Hoelder.

FRIDERICO MARX

Poetae Romanorum veteres qua ratione spondiacis vel anapaesticis verbis in iambicorum metrorum pedibus, quos vocamus interiores, usi sint, virorum doctorum operis atque studiis ne ad hoc quidem tempus satis explanatum est. Primum enim Oscarus Brugmann dissertatione 'quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociarint' (Bonnae 1874) multa quidem ac pretiosa ad hanc rem cognoscendam suppeditavit, tamen in iambicum tantummodo senarium inquisivit trochaico et iambico septenario octonarioque plane neglectis. Idem calculis tabularum suarum adductus omnes locos, qui spondiacas et anapaesticas voces illis locis quos dixi exhibent, in dubium vocandos esse arbitratus est. Itaque permagnam coniecturarum protulit multitudinem, quas a probabilitate abhorrere nonnunquam apparet.

Post Brugmannum difficultates removere studuit Ricardus Klotz: qui sententiam suam — iam in Bursiani annal. vol. 48. pp. 135. 136. adumbratam — uberius explicavit in libro, cui inscripsit 'Grundzüge altrömischer Metrik' (Lips. 1890). (De anapaesticis verbis conferas velim pp. 311—315; de spondiacis pp. 315—341). Quod opus Oscarus Seyffert cum sub iudicium vocavit, Klotzii disputandi ac demonstrandi rationem vehementer reprehendit atque ipse haud pauca attulit, quae ad rem disceptandam magni momenti habenda sunt. (Berl. philol. Wochenschrift 1891 coll. 926. 927. et Burs. annal. vol. 80. pp. 277—279.)

Nos ipsi cum ad retractandam hanc quaestionem auctore Friderico Marx aggrediamur, non in universum agemus de spondiacis et anapaesticis vocabulis in interioribus dipodiarum pedibus admissis; nam quod ad secundum senarii locum atti-

net, ab hac sede eiusmodi verba ob hanc maxime causam prohibentur, quia post quintum semipedem caesura legitima senarii solent incidi. Idem videlicet cadit in septenariorum trochaicorum pedem, qui illi respondet. Itaque non satis dilucide poterimus perspicere, quasnam leges secuti poetae in hoc versus loco talia verba sibi indulserint.

Qua de causa ad tertium solum a fine pedem attendentes et ad secundum pedem septenarii iambici asynarteti condiciones illas perquirere volumus, quibus Plautus aliique usi illius generis vocabula rhythmis accommodaverint.

I. DE SPONDIACIS IN ANTEPAENULTIMO PEDE VOCABULIS.

In hac libelli parte priusquam virorum doctorum opiniones recognoscamus ipsique feramus iudicium, versuum conspectum proponere opus est, in quibus eiusmodi voces illo pede inclusae occurrant. Abundantiam autem ut nonnihil recidamus, singulos versus exhibebimus in ordinem certum ac dispositionem redactos. Ac primum quidem si quis Plauti Terentiique fabulas ac veteris Romanorum poesis frustula perlegerit, magnum versuum numerum inveniet talium, quales spondiacam vocem in tertium a fine pedem ita receperint, ut illi pedes, qui subsequantur, uno expleantur verbo. Eiusmodi igitur exempla primum proponere ita ad rem pertinebit, ut arsim dissolutam, si quae spondeum praecedit, numeris in margine ascriptis indicemus.

A. In quarto senarii pede posita inveniuntur

I. spondiaca vocabula, quae verbum polysyllabum sequitur

a. apud Plautum:

1. Bacch. 277 . . . . in navem conscendimus
2. Capt. 15 . . . . ŏpĕ vostra censerier 1

3. ibid. 40 .... hanc docte fallaciam
4. ibid. 91 .... non nullum periculumst
5. Curc. 375 .... quom belle recogito
6. Epid. 497 .... quisquam ulla pecunia
7. Men. 30 .... ad ludos, convenerant
8. ibid. 542 .... duom nummum stalagmia
9. Merc. 328 .... ad portum negotium
10. Mil. 857 .... in cella vinaria
11. Pers. 60 .... ĕrăt duris capitonibus 2
12. Poen. 650 .... ad portum processimus
13. ibid. 1398 ... Quid lenonem vis inter negotium
14. Rud. 872 .... in nervom conrepere
15. Stich. 188 .... ei verbo vicarium
16. ibid. 447 .... ad cenam condicere
17. ibid. 457 .... meis dictis deleniam

b. apud Terentium nullum invenitur exemplum.

c. apud reliquos poetas:

18. Novius 47 R Actutum scibis, cum in nervo nictabere
19. Laberius 101 Quem nulla ambitio, nulla umquam largitio

II. verba spondeo terminata

a. apud Plautum:

20. Amph. 42 .... Virtutem, Victoriam
21. Aul 95 .... pistillum, mortarium
22. ibid. 576 .... commutet coloniam
23. Capt. 85 .... părăsiti venatici 3
24. ibid. 86 .... rĕdĭerunt, molossici 4
25. ibid. 192 .... subducam ratiunculam
26. Cas. 426 .... vŏlŭptatem creaverim 5
27. Cistell 171 }
28. ibid. 575 } .... mĕrĕtrici Melaenidi 6
29. ibid. 630 .... re⟨d⟩ducam Selenium
30. Curc. 371 .... subduxi ratiunculam
31. ibid. 380 .... quaesivit pecuniam
32. Men. 102 .... concinnat patinarias

33. ibid. 330 .... Volcani violentiam
34. ibid. 702 .... cum argento concredidi
35. Most. 656 .... perturbat paenissume
36. Pers. 160 .... aediles locaverunt
37. Poen. 7 .... fecistis sapientius
38. ibid. 28 .... infantis minutulos
39. ibid. 155 .... mĕrĕtricem maiusculam 7
40. ibid. 498 .... mĕrĕtricem minusculam 8
41. ibid. 1341 .... ne addicar Agorastocli
42. Pseud. 456 .... vicinos impertio
43. ibid. 883 .... conditum gustaverit
44. Rud. 14 .... abiurant pecuniam
45. ibid. 89 .... abduxi negotiis
46. ibid. 91 .... lenonem prehendere
47. ibid. 461 .... extraxi: praefiscine
48. ibid. 1246 .... săpĭentis aequissumumst 9
49. Stich. 194 .... praeconis compendium
50. fragm. 30 (G.-Sch.) ...... clamarat meridiem
(quem Ribb. Aquilio tribuit cf. Com. R. f. p. 39II).

b. apud Terentium:

51. Andr. prol. 7 .... mălĕdictis respondeat 10
52. Phorm. 619 .... temptarem sententiam
53. Eun. prol. 13 .... mŏnŭmentum pervenerit 11
54. Hec. 488 .... vehementer desidero
55. ibid. 506 .... accessit pecuniae
56. ibid. 623 .... sum iratus, Philumena

c. apud reliquos poetas:

57. Carm. Lat. Ep. 137, 2 B ubi ossa et cineres aeternum requiescerent
58. Naevius, Com. R. fr. 24 Altris nuces in proclivi profundier
59. Idem 136 = animum amore căpĭtali compleverint 12
60. Afranius 56 Cognationes morborum cognomines
61. Pomponius 86 Farinam insipui concussi condepsui
62. Novius 108 Sex nummum in arcam demisi nummariam
63. Laberius 77 Sic ego fulgentis splendorem pecuniae

64. Idem 148 Quid properas? ecquid praecurris Calidoniam
65. Liv. Andron, Trag. R. fr. 40 Puerarum manibus confectum pulcerrime
66. Pacuvius 278 Aetatem adiungas crŭcĭatum reticentia 13
67. In Nelei carmine 2 Foede stupreque castigor cotidie
68. Inc. inc. poet. fab. 18 Omnis aequalis vincebat quinquertio
69. Ennius p. 155. 212 Vahl. = Trag. R. fr. 174 Necasset, quo quis crŭcĭatu perbiteret 14
70. Ennius p. 182. 331 Vahl. = Trag. R. fr. 286 Palam muttire plebeio piaculum est
71. Varro, Sat. Menipp. 427 B = p. 201, 5 Riese: Levis mens umquam somnurnas imagines

B. In trochaici septenarii tertio a fine pede

I. spondiacarum vocum habes haec exempla

a. apud Plautum:

72. Asin. 156 .... tuos clavo Cupidinis
73. ibid. 266 .... meae falsae fallaciae
74. ibid. 864 .... ad cenam cotidie
75. Capt. 482 .... de dictis melioribus
76. Curc. 352 .... nĕquĕ nocti nocerier 15
77. Men. 945 .... mălĕ dictis respondeo 16
78. Merc. 191 .... nos nostris negotiis
79. Mil. 1360 .... amisi omnem lubidinem
80. Poen. 389 .... amoena, huius festivitas[1])

---

[1]) Luchsius qui 'huius, eius, quoius' in ultima ictu percuti negat (Studem. studd. I, 2 p. 353 sq.), rationem suam comprobare mihi non potest dum nonnullos respicio locos, quos iniuria ille corruptos esse evincere studet, veluti:

Aul. 22 Pariter moratum, ut pater avosque huiús fuit

de quo haec verba facit l. s. p. 353: „(es) bleibt, falls man die Betonung 'huiús' entfernen will, nichts übrig als den Ausfall eines Wortes anzunehmen." Neque Rud. prol. 2 'Eiús sum civis —' placet Luchsii emendatio l. s. p. 352 'Eius égo sum civis —' Hec. 385 'Sed quom orata eiús reminiscor —' ipse confitetur p. 353 „— gibt keinen weiteren Anlaſs zur Annahme einer Verderbnis". Atque in eiusmodi exemplis priorem

81. ibid. 402 .... de nostro negotio
82. Rud. 1396 .... cum magna pecunia
83. Stich. 306 .... ad ludos Olympios
84. ibid. 400 .... de dictis melioribus (cf. Capt. 482.)
85. ibid. 515 .... cum vostris uxoribus
86. Trin. 862 .... aut sector zonarius
87. ibid. 947 .... ad caelum pervenerit

b. apud Terentium:

88. Phorm. 343 .... quid sumas potissumum[1])

c. apud reliquos poetas:

89. Pomponius 160 Venit nos rogatum, quando nostrae essent Seplasiae.

II. Verborum, quae desinunt in spondeum

a. apud Plautum:

90. Amph. 363 .... Thebanis legionibus
91. ibid. 840 .... et sedatum cupidinem
92. ibid. 841 .... cognatum concordiam
93. Asin. 159 .... privabo portorio
94. ibid. 298 .... O virgarum lascivia
95. ibid. 897 .... ulciscar potissumum
96. ibid. 907 .... dĭdĭcisti fulloni[c]am 17
97. Bacch. 39 .... mĕrĕtrices cognomines 18

---

syllabam productam esse testantur tales versus quales Aul. 22 supra allatus, Capt. prol. 4 ... Hegio, est huiús pater, Most. 957 .... postquam hinc peregre eiiús pater. Proinde non offendamus in exitu Poen. 389 'huius festivitas', quem legitime a poeta compositum esse exemplis pp. 6 sqq. exhibitis demonstratur. Mil. 1234 'Ne | óculi eiús sententiam' propter hiatum res incerta. Sed cum nonnumquam correptam videamus priorem syllabam 'ĕius' (conf. Luchsium l. s. p. 346.), haerendum fortasse non erit in 'Militis' v. 448:

An ista non sit Philocomasium atque alia ĕiŭs similis siet

Itaque haud inepte dubiam prosodiam agnosces 'ĕius, hŭius, quŏius' simili ratione atque pronominum 'ille iste', de quibus postea agemus.

[1]) Hec 462 .... plus una sententia (A)
'una ⟨hac⟩' add. corr. rec; receperunt editores.

98. ibid. 438 . . . . căpĭebat suffragio 19
99. ibid. 675 . . . . sumebas primoribus
100. Capt. 258 . . . . praesenti pecunia
101. ibid. 814 . . . . crŭcĭanti cantherio 20
102. ibid. 820 . . . . verveci sectario
103. ibid. 822 . . . . mortales miserrumos
104. Cas. 804 . . . . rĕmŏrantur remeligines 21
105. Epid. 285 . . . . qui abscedat suspicio
106. Men. 161 . . . . respectas identidem
107. ibid. 817 . . . . miserorum miserrumus
108. ibid. 1043 . . . . cum argento marsuppium
109. ibid. 1159 . . . . praesenti pecunia
110. Merc. 206 . . . . dixisti verissumum
111. ibid. 377 . . . . tŭam ădvorsum sententiam 22
112. Mil. 696 . . . . suscenset ceriaria
113. ibid. 1359 . . . . oblī͡viscendi stratioti⟨ci⟩
114. Poen. 339 . . . hodie est mercatus meretricius
115. Rud. 651 . . . . periuri plenis⟨sumus⟩
116. ibid. 987 . . . . vidisti, venefice
117. ibid. 997 . . . . căpĭuntur pauxilluli 23
118. ibid. 1081 . . . . gestavit crepundia
119. ibid. 1394 . . . . libertas portenditur
120. Stich. 137 . . . . ăbĭerunt triennium 24
121. ibid. 331 . . . . părăsitum, Panegyris 25
122. ibid. 532 . . . . vĭcĭssatim voluptatibus 26
123. Trin. 648 . . . . virtuti praeponeres
124. ibid. 886 . . . . ad postremum perveneris
125. Vidul. 56 . . . . sŏcĭorum nanciscier 27
126. frgta.fab.cert.54(G.-Sch.) . . fidentem fefellerint

b. apud Terentium non inveniuntur eiusmodi exempla.

c. apud reliquos poetas:

127. Naevius, Com. R. fr. 127 Ea licet senile tractet detritum rutabulum
128. Pomponius 113 Ipsus cum uno servo senex intestato proficiscitur

129. Novius 80 Quid ego facerem? ⟨ut⟩ otiosi rodebam rutabulum
130. Novius 95 Plus sapivi, quin fullonem compressi quinquatrubus.

C. Sequuntur spondiacorum verborum exempla, quae in iambicis septenariis octonariisque posita sunt.

I. ex secundo asynartetorum versuum pede

a. apud Plautum:

131. Bacch. 968 Eum ego ădĕo uno mendacio 28
132. Asin. 555 Vi pugnando periuriis
133. ibid. 561 Ubi fidentem fraudaveris
134. Cistell. 43 Haecquidem ecastor cottidie
135. Epid. 380 Atque ălĭquanto lubentius 29

b. apud Terentium et reliquos poetas non reperiuntur exempla.

II. ex sexto octonariorum pede

a. apud Plautum:

136. Capt. 914 .... cum carne carnarium
137. Asin. 834 .... ăgĭtemus convivium 30

b. apud Terentium:

138. Andr. 490 .... facto esset puerperae
139. Hautt. 226 ...... ignaram artis meretriciae
140. Hec. 307 .... interdum iras iniuriae
141. ibid. 320 .... Uxorem Philumenam

c. apud reliquos poetas:

142. Titinius 120 Vidistin Tiberim? — Vidi: qui illam derivet, beaverit

D. Reliqui sunt versus, qui spondiacas formas pronominum 'ille iste' in tertio a fine pede ita exhibeant, ut duo pedes extremi una comprehendantur voce. Cuius generis habes haec exempla:

a. apud Plautum:

143. Bacch. 301 ..... omne illis praesentibus (hiat in caesura)
144. ibid. 599 .... dicam illi periculo

145. ibid. 496 .... si cum illo relinqueres (sic P; A: cum hoc)
146. Capt. 314 .... illum illic curaverit
147. ibid. 600 .... me, ut illi mastigiae
148. Curc. 598 .... apage istanc caniculam
149. Poen. 381 .... nisi ego illi mastigiae
150. Stich. 131 .... pater, illisce apsentibus

b. apud Terentium:

151. Ad. 508 .... nimia illaec licentia

Hanc locorum multitudinem cum oculis perlustramus, facile intellegimus nonnumquam verba ita posse transponi, ut spondeus ex illa sede depellatur. Neque tamen quisquam corrigendos esse versus tales sibi persuadebit, cum omnes propter simillimam conformationem genuinae speciem originis prae se ferant. Ordo igitur verborum turbandus non erit ut exempla afferam his locis:

Men. 542 duom nummum stalagmia non: nummum duom st.
Stich. 188 iam ei verbo vicarium non: iam verbo ei v.
ibid. 457 meis dictis deleniam non: dictis meis d.
Men. 330 ad Volcani violentiam non: Volcani ad v.

Et alii multi sunt, quorum spondeum leni mutatione ex tertio a fine pede eicere possimus. Ac ne illud quidem nos effugiet, si accuratius indicem supra confectum inspexerimus, poetas hic illic allitterationem quam dico in extrema versuum parte quaesivisse. Quae cum ita sint, pristinam fortasse formam recuperare licet in his exemplis, quorum spondiaca verba viri docti in suspicionem vocaverunt:

152. Lucilius 642 Baehrens: rerumque inter se coniungat communicat (ita codd.)
153. Trin. 94 .... mi es certis certissimus
mihiescertis A (Leo), certis mihi es (Goetz-Schoell)
154. Amph. 490 .... ut celetur consuetio
quem versum una cum antecedente expunxit Langenus studd. Plaut. 1886. p. 236.

155. Rud. 633 .... fŏrĕ multam magudarim 31

Trin. 977 .. charmidatus es, rursum recharmida (ita libri)

Trin. 888 .... quasi vixillum vinarium

ita Leo scripsit ex veteris B: iuxillum, reliquorum: vasculum.

His addimus versum, cuius spondiacam vocem propter similem omnium locorum speciem facile tolerabrimus:

156. Trin. 410 quam si tu obicias formicis papaverem

Qui quamquam ita legitur in P, A, Charisii libris (p. 83 Keil) consentientibus, tamen a Klotzio (l. s. p. 325) Nonii codicibus qui nitatur (Non. p. 220 M) sic praebetur: quam si formicis tu obicias papaverem.

Truc. 892 incertum est '—confectum fallaciis'. Geppertus coniecit: conficiam fallaciis

Sequuntur spondeorum exempla, de quibus ambigi licet.

Merc. 6 quos pol ego credo humanas querimonias

hiat in caesura; Leo proposuit 'opinor' pro 'credo'.

Merc. 796 concivit hostis domi: uxor acerrumast

cf. quae Leo ad h. v. et C. F. W. Muellerus 'pros. Plaut.' p. 174. adnotant.

Mil. 1234 ne óculi eius sententiam

Leo: ne oculi eius ⟨animi⟩ sententiam

Rud. 1136 .... inerit vobis habebitis

Rhythmi quidem male profluunt; extrema autem verba recte tradita videntur; cf. Merc. 988 'habete vobis'

Ennius, Trag. R. fr. 93 Hectoris natum de muro iactarier

idem p. 130, 82 Vahl. Hectoris natum de Troiano muro iactari

Ennius, Trag. R. fr. 157 Eualida quorum infrenast nimis tenacia

idem p. 151, 191 Vahl. Infrena et iunge, valida quorum infrenari tenacia

Lucilius 589 Baehrens .... in summum irat Demaenetus

codd. 'ire ad' Lucil. 707 Lachm. 'ierat Demaenetus' Stowasser studd. Vindob. 7. p. 37 'ire; at'

Ex poetarum reliquiis huc referenda videntur versuum fragmenta

157. Iuventius, Com. R. fr. 6 caput ei testatim diffregero
158. Laevius, Fr. P. R. 7 Baehrens: vituperones subducti supercili

Gravioribus autem corruptelis depravata videntur haec exempla:

Mil. 481 Satin abiit ille neque erile negotium

Stich. 165 .... oboriuntur cotidie

Merc. 182 Qui potuit videre? || Oculis. || Quo pacto? || Hiantibus

Fragm. 63 (G.-Sch.) Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio

Qui sequantur loci et iambicam et spondiacam mensuram admittunt.

Men. 485 .... bene fui dispendio

Poen. 1312 .... sarrapis sementium

De quantitate nihil constat.

Rud. 487 .... quid rei commiscuit

Recte fortasse emendati sunt hi loci:

Cas. 781 Cena ubi erit cocta; ego ruri ⟨post⟩ cenavero

cf. C. F. W. Muelleri 'pros. Pl.' p. 504.

Asin. 571 Ubi eris damno ⟨et⟩ molestiae et

Bothius supplevit.

Ab his omnibus ea volumus segregari exempla, quae ex Publilii Syri aliorumque sententiis depromantur, in quibus gravissimas leges metricas violari haud raro observare licet. Praeterea viri docti huius demum aetatis magnam earum partem accommodaverunt numeris. Iam in iis quae sequuntur omnes locos congessimus, qui similiter ita se habent, ut spondiacae voces uno excipiantur vocabulo ultimos duos pedes amplexo. (Usus sum editione, quam curavit Otto Friedrich a. 1880.)

1. Ex quarto senarii loco haec sumuntur exempla

a. ex Publilii Syri sententiis:

p. 41. E 10. Et male qui faciunt, oderunt iniuriam

p. 56. M 17. Mala est voluntas alienum resciscere

b. ex Caecilii Balbi sententiis:

p. 83. 93. Invidia semper adversa est felicibus
p. 84. 135. Non liber animi est, quem inflammat superbia

c. ex Pseudo-Senecae 'de moribus':

p. 89. 86. 87. Nobilitat animi, non stirpis generositas
p. 89. 89. Homo animi praebet turpe aeger spectaculum
p. 89. 101. Irritat avidum, non explet pecunia
p. 90. 132b. Utinam bonis stet aetatis longinquitas

d. ex proverbiis nullum capitur exemplum.

e. ex sententiis falso inter Publilianas receptis:

p. 104. 269. Pedarii caput elingue est sententia
p. 108. 386. Virtutem acerrimam extundit necessitas

2. Ex trochaici septenarii tertio a fine pede habes hos locos

a. apud Publilium Syrum:

p. 66. P 42. Pote prudentia plus stulta in adversis felicitas

b. apud Caecilium Balbum:

p. 82. 41. Conscientia animi didicit maledictum contemnere
p. 82. 51. De inimicis intra parietes quaerenda est victoria
p. 83. 73. Fulmen adversum hostes ducis est in cives humanitas
p. 83. 104. Liberi et servi personam confundit mendacium
p. 84. 117. Moribus multo quam rebus te praestat splendescere
p. 85. 157. Qui dolorem fert patienter, inimicos ulciscitur
p. 85. 165. Quod habes, sic utaris, ut non alienum desideres
p. 85. 169. Rixa amicorum animos solvit, confirmat sapientia
p. 86. 198. Vulgus imperitum ad iustum una adstringit necessitas

c. apud Pseudo-Senecam:

p. 87. 15. Imperio velut servam animi compescas libidinem
p. 87. 24. Si esse vis beatus, primum contemnas contemnnier
p. 88. 45. Maximas habet divitias, qui nullas desiderat
p. 88. 62. In fortuna sese effere fortunae est succumbere
p. 89. 70. 71. Differas odium, modereris, deponas fideliter

d. in proverbiis:

p. 92. 32. Optimum est ignosse ita, ipse quasi pecces cotidie

p. 94. 91. Frangit pudor ingenium rectum, pravum effert audacia

e. In sententiis falso inter Publilianas receptis:

p. 97. 37. Beneficium est carere iam quod invitus possederis

p. 98. 88. Difficile est, quae tecum vitia creverunt, recidere

p. 100. 148. Improbis parcendum est civibus, ut membris languentibus

p. 100. 151. In recessu habeas severum, in procinctu clementiam

p. 104. 288. Quam domum cunque intrat, praestat felicem clementia

p. 106. 325. Rex, cui se irascendo exaequat, non multum supereminet

p. 107. 353. Stultus est, bonis malisque qui ignoscit promiscue

p. 107. 373. Ubi peccat solitum remedium, temptatur contrarium.

Iam vero transgrediamur ad explicandam illam licentiam, quam poetae sibi sumpserint in spondiacis vocabulis in tertio a fine pede admittendis. Qua in re id maxime memorabile est, quod Plautum aliosque poetas ne ubi facile quidem id fieri potuit eiusmodi verba ab illa sede arcuisse vidimus. Qua de causa nemo credet fortuito esse factum, ut spondiaca verba admodum saepe una voce quattuor vel quinque syllabarum excipiantur, quae comprehendat ultimos duos pedes. Itaque quamquam in interioribus dipodiarum pedibus accentuum discrepantiam poetas non quaesivisse constat, tamen e tabulis praemissis tot locis inter se simillimis illam legem neglegi dilucide perspicitur, ut de singulis corruptela depravatis cogitari nequeat. Quas duas rationes contrarias consociare non possumus, nisi spondeorum asperitatem molestiamque quodammodo exaequari ac molliri putamus artiore ultimorum pedum

copulatione, quae polysyllabo vocabulo efficitur in exitu versuum posito[1]. Qui factum sit, ut verbo ampliore spondeum excipiente ultimosque pedes amplexo tarditatem versus poetae sublevari senserint, nemodum satis declaravit. Ne Brugmannus quidem hanc poetarum consuetudinem ad originem deduxit, quamquam rei ignarus non est; cuius verba sunt haec (l. s. p. 32): 'Tamen etiam pleraque exempla quae supersunt similiter ita se habent, ut illam spondiacam vocem subsequatur verbum, quo duo ultimi pedes expleantur. Neque dubito, quin haec legitima fuerit excusatio'. Quanam ex re huius usus legitimam parare liceat excusationem, nobis non indicavit. Neque Klotzius, ut mihi videtur, probabilem explicationem attulit. Qui iam in Bursiani annal. vol. 48. (a. 1886) p. 136, cum iudicium ferret de W. Meyeri dissertatione metrica 'Über die Beobachtung des Wortaccentes in der altlateinischen Poesie' (Monach. 1884) contra illum pugnans sic explanavit sententiam suam: '— die Fälle haben sämtlich den einen Entschuldigungsgrund, daſs sie vor einem schweren, den Vers schlieſsenden viersilbigen Worte stehen; bei manchen gehen auch lange Worte voraus, ... ja in nicht wenigen von ihnen ist sogar eine beabsichtigte Dissonanz, ein besonderer Effekt von Tonmalerei kaum zu verkennen'.

Item fere sensit in libro suo, de quo antea commemoravimus, ubi p. 324 haec pronuntiat: 'es handelt sich entweder um längere besonders schwerfällige Wörter'. Cuius verbis subaudiendum est illum necessitate quadam esse factum putasse, ut toties spondiaca vocabula coniungerentur cum longis verbis, quibus duo pedes versum terminantes expleantur. Quae ratio confirmatur eis, quae l. s. infra p. 333 dicit: 'Hier handelte es sich in den weitaus meisten Fällen um Ausnahmemessungen, die aus einem bestimmten Zwange hervorgehen, den das Sprachmaterial mit sich brachte'. Itaque si summam ex his verbis facimus, sic fere eum iudicasse existimandum est: longis

[1]) Similiter iudicavit Marxius Gött. gel. Anzeigen 1896, 1 p. 82.

vocabulis ultimos duos pedes amplexis aliquid inesse gravitatis ac tarditatis, iisque effectum esse, ut poetae praeter consuetudinem in antecedente versus loco sibi permitterent spondiacas voces: sola igitur de linguae necessitate hunc usum esse interpretandum; quam verborum necessitatem poetas eo minus effugisse arbitratur, quo saepius molossica (i. e. spondeo finita) vocabula polysyllabis verbis praemisissent.

Hanc explicandi rationem si probamus, facere non possumus, quin numerorum elegantiam, quam in Plauto laudare assuevimus, summum in discrimen fateamur esse adductam: ex huius enim fabulis pleraque exempla collegimus. Klotzium igitur secuti cum ex longis verbis ultimos duos pedes amplexis aliquam gravitatem procreari confidimus, multitudinem praesto habemus versuum, quorum facilitatem volubilitatemque Plautus ipse vitiasse videtur, quoniam praeterea spondiacis verbis in tertium a fine pedem receptis tardiores effici rhythmos per se elucet atque constat. Quisquis ergo eadem ratione illum poetarum usum explicari vult qua Klotzius, assentiri sane debet Ritschelio, qui de hac re haec praedicaverit (proll. in 'Trin.' p. CCXIV): 'Itaque de illo genere, quod molossicis vocabulis comprehenditur, sic statuendum est, ut reapse aliquid asperitatis quod non suaderet, sed dissuaderet aurium iudicium et ratio numerorum patientius quam par erat eosdem poetas tulisse intellegamus, quorum in reliquis partibus senariorum septenariorumque condendorum perfectam elegantiam suspicimus.' Huic autem sententiae si astipularemur, certo non iustum faceremus iudicium de Plauti arte metrica. Quae cum ita sint, omnem praeindicatam abiciamus opinionem ipsique videamus, quomodo poetarum consuetudinem quam adhuc observavimus satis explicare liceat.

Ac primum quidem concedimus nimirum propter linguae naturam veteres Romanorum poetas angustioribus cohibitos esse finibus quam Graecos; quae necessitas sermonis si non adfuisset, omnino ab interioribus dipodiarum pedibus spondeum et anapaestum exclusuros eos fuisse apparet. Sed si cum

Klotzio consentiremus, linguae gravitate poetas adeo esse coactos putandum esset, ut spondiacas in tertio a fine pede voces cum longis tardioribusque vocabulis copularent, quae occupent extremos duos locos. Qua ratione spondeorum asperitas multo magis augeretur tarditate illa verborum versum finientium. Hanc autem rationem perversam esse statim confitebimur, quoniam supra intelleximus, quam facili transpositione Plautus, si voluisset, nonnunquam omnem offensionem vitaturus fuisset.

Quibus expositis ad iustam spondiacarum vocum explicationem adducimur, de qua iam antea mentio erat. De industria poetas quaesivisse patet talem verborum consecutionem longisque vocabulis in exitu versuum collocatis eos non auxisse, verum etiam imminuisse spondeorum asperitatem.

Ac si quis legerit enuntiaritque omnes versus supra exscriptos, sane audiet mollitiem quandam soni polysyllabis verbis exortam, quibus extremi duo pedes constituuntur. Neque difficile est intellectu, curnam eiusmodi vocabula in finem versuum reiecta numerorum facilitati optime consulant. Sicut enim apud Graecos — ut exemplum afferam — Nonni hexametri ob rhythmorum mollitiam insignes sunt, quippe qui paroxytonis vocibus plerique terminentur ideoque in ultimo pede exhibeant ictuum congruentiam, ita in illis exemplis longorum volubilitas vocabulorum ex eadem accentuum concinnitate explicationem habet. Nam ubicunque verbum quattuor vel quinque syllabarum ultimis duobus pedibus comprehenditur, grammaticum ictum semper cum metrico concordare observamus. Itaque facile suspicabimur tali rhythmorum mollitia ac velocitate ad exaequandam asperitatem poetas esse usos eam, quam spondiaca vocabula tertio a fine pede inclusa versui inferant. Huc illud quoque accedit, ut Plautus ac reliqui poetae quamquam in alio verborum conexu quintum senarii locum reservare solent spondiacis vel anapaesticis vocibus, tamen ab hac consuetudine recedere cogantur, si iam in praecedente versus sede eius generis verba sibi indulserunt: duo-

bus enim deinceps spondiacis vocabulis usi in utroque pede ictuum repugnantiam efficerent multoque magis abnuerent numerorum elegantiam. Iambicas autem voces a paenultimo pede eos prorsus exclusisse admonendum est nisi certis quibusdam legibus sanctis. (cf. Luchsium in Studemundi studd. in prisc. script. lat. I, 1 pp. 5. 13.)

Itaque probabilem explicationem adferre licet, quadecausa vocabula polysyllaba spondeum subsecuta in deliciis poetarum fuerint: quorum priores syllabae paenultimum locum versus occupantes sive spondei (sicuti 'censerier') sive anapaesti (ut 'ratiunculam') sive iambi (ut 'creaverim') mensuram aequant, nusquam rhythmorum volubilitati obstant, siquidem grammaticum accentum et metricum semper consociatos exhibent. — Quam quidem interpretandi rationem Klotzius quoque attigit, cum haec diceret (l. s. p. 327): '(es wird) dadurch zugleich die Wiederholung eines solchen den Gang des Verses stark beeinträchtigenden Spondeus ausgeschlossen'. Sed obiter tantummodo strictimque huius rei mentionem fecit, cui tribuendum erit multo gravius pondus.

Qua re cognita eos plane errare manifestum est, qui longa vocabula terminantes duos pedes amplexa prae se ferre tarditatem aliquam confidant. Haud scio an omnes mecum consentiant, quam singulari arte veteres Romanorum poetae — imprimis Plautus — spondiacis verbis, quibus in tertio a fine pede admissis versus gravari constat, asperitatem omnemque offensionem adeo exemerint, ut numeros non modo non deformasse, verum etiam maiorem ad elegantiam perduxisse videantur. Eo minus igitur comprobamus, quod Ritschelius in Proll. p. CCXV. de eiusmodi locis praescripsit: 'Tali tamen neglegentia (nam profecto diligentiae laudem illud non habet) quo magis libera esse ars universa illorum poetarum solet, eo nos de singulis suspiciosiores esse decet et aliquanto tardius de poetarum quam de librariorum vitio cogitare'. Iam igitur hanc fere legem stabilem certamque statuere licet:

Romanorum veteres poetae, ubi non defugerunt spondiacas voces vel spondeo finitas in tertio a fine pede usurpandas, earum asperitatem molliri voluerunt ictuum congruentia quam quaesiverunt in pedibus qui sequuntur: qua de causa spondiacum vocabulum excipere soliti sunt uno verbo ultimos duos pedes amplexo.

Eandem quoque certae normae constantiam videmus poetas secutos esse, ubi formae verbi 'esse' aliorumque verborum elisionis et enclisis vi cum spondiaca voce coaluerunt. Non desunt quidem qui obloquantur hosque locos minime cum illis esse comparandos censeant. Quorum in numero primus Klotzius, si tales elisae voculae spondeo adiectae essent, omnino dilabi omnem offensionem existimavit (cf. Grdzge altr. Metr. pp. 323. 324.), cum ita ex interiore thesi depelleretur verbi accentus. Ille autem singula exempla non disposite secernit, quae colligantur oportet ex diversis interioribus locis, sed omnia summatim tangit. Quo factum est, ut eum plane effugisse videatur etiam in iis, quae spondiaca verba in tertio a fine pede cum elisis voculis coniuncta exhibent, Plautum et Terentium regula diligenter observata versus terminasse vocabulo quo ultimi duo pedes expleantur. Cuius generis exempla compares velim cum illis, quae supra dedimus. Atque haec quidem invenire mihi contigit:

1. In quarto senarii pede

a. apud Plautum:

159. Amph. 100 .... praefectust legionibus
160. Cas. 328 .... ŏdĭosast amatio
161. Poen. 633 .... tandundemst periculum
162. ibid. 643 .... ĭtă vostrast benignitas
163. ibid. 959 .... monstratust regionibus

b. apud Terentium:

164. Phorm. 711 ... † ... quae causast iustissima

c. apud ceteros poetas:

165. Carm. Lat. Ep. 85, 3 B... hic summa est severitas

2. In tertio a fine pede trochaici septenarii

a. apud Plautum:

166. Bacch. 74 .... prĕtĭosa's operaria 34
167. Men. 938 .... mĭnĭtatu's prosternere 35
168. Merc. 663 .... iam quantumst conducier
169. Mil. 646 .... quom ālĭenast oratio 36
170. Pseud. 747 .... Angui<l>last: elabitur

b. apud reliquos non extat exemplum.

3. In sexto iambici octonarii loco

a. apud Plautum exempla desunt.

b. apud Terentium:

171. Hec. 318 .... vox visast Philumenae
172. Ad. 189 .... nulla ortast iniuria

Itemque extremos duos pedes explerunt poetae uno vocabulo, ubi 'que, ne' particulas elisione obscuratas cum spondiaca voce confuderunt; quod factum esse ex his locis cognosces:

173. Asin. 551 Inductoresque acerrumos (iamb. sept.)
174. Capt. 918 .... reclusitque armarium (iamb. oct.)
175. Mil. 1313 .... Vĭdĕo. || Audin, Palaestrio (troch. sept.) 37

Quae cum ita sint, propter elisas voculas tolli vix credimus spondei eam offensionem, quae est in diversitate accentuum. Cur idoneam inde excusationem spondiaca vocabula nancisci non possint, infra erit sciscitandum.

Verum haec quidem hactenus. Iam nunc convertamus nos ad ea exempla, quae spondeum in illo pede extra rationem admissum praebeant. Pro ingenti enim iambicorum trochaicorumque versuum multitudine mirandum non est, quod haud pauci inveniuntur, qui obstare videntur regulae. Explorandum igitur est, quibusnam aliis condicionibus poetae non reformidaverint spondiacas voces in tertio a fine loco adhibendas.

Ac primum quidem facile expediuntur ea exempla, quorum spondiacum verbum ex compluribus compositum videmus. Qua in re velim assentiaris Klotzio, qui aliquid offensionis his inesse iure neget (l. s. p. 324). Cum enim utraque syllaba grammatico ictu percutiatur in eiusmodi vocabulis, accentu in thesi non iam praevalente aures minus offenduntur. Ceterum ne hic quidem desunt exempla, quae ad illorum locorum similitudinem conformata sunt, quos supra tractavimus. Cuius generis habes haec:

1. in senario

Aul. 380 .... die siquid prodegeris
Stich. 483 ...... ad me non vis promittere

2. in trochaico septenario

Amph. 806 ...... quid postquam cenavimus
Most. 1163 ...... neque quicquam suscenseo

Quorum numerum longe excedunt versus, qui non exeant in vocabulum ultimos duos pedes amplexum. Huc pertinent

1. in senario

Aul. 76 ...... neque quicquam meliust mihi
Merc. 95 .... praeterquam mihi meus pater
Trin. 527 .... etsi scelestus est
Hautt. 788 .... Atqui quam maxime

Idem verbum divellitur Rud. 946 'Non audio. || At pol qui audies'

Ennius p. 158. v. 228 Vahl. Plebes in hoc regi antistat loco: licet

Ribb. in coroll. ad Trag. R. fr. 1871 p. XXVIII. proposuit: large licet.

2. in trochaico septenario

Mil. 263 .... sese vidisse eam
Poen. 385 .... ecquid facies modi
Pseud. 389 .... adduc hominem cito

3. in iambico septenario

Curc. 502 Nec vobiscum quisquam in foro

Asin. 427 Nil est: tamquam si claudus sim
Curc. 516 Lyco, numquid vis? || Bene vale

His addere mihi liceat spondiaca et anapaestica verba ex secundo quartoque iambicorum octonariorum pede sumpta quos vocamus synartetos. Cuius generis vocabula, quamvis raro poetae sibi permiserint in illa versus sede, tamen haud prorsus excluserunt. Legitimae autem excusationi, quam adhuc observavimus in spondiacis verbis, in hoc tantummodo versu Plautus consuluit:

Men. 129 Conferre omnes congratulantes

Deinde propter accentus enclisim carere videntur offensione

Phorm. 246 Quidquid praeter spem eveniat omne id
ibid. 251 Quidquid praeter spem eveniet omne id
Hec. 207 Itaque una inter nos agere aetatem
ibid. 833 Haec tot propter me gaudia illi

In his autem versibus qui sequuntur nullam rationem cognoscimus, qua poetae leniverint asperitatem:

Bacch. 951 Dum ibi exquirit facta Iliorum
Most. 727 (728) Ehem, vix tandem percepi super his
Hec. 215 An quia ruri crebro esse soleo
Capt. 916 Aulas calicesque omnis confregit
Pseud. 1272 Cordi atque animo suo opsequentis
Hec. 198 Pro deum atque hominum fidem quod hoc genus est
ibid. 574 Ipse eripuit vi, in digito quem habuit
Ad. 174 Non innueram; verum in istam partem
ibid. 279 Quamvis etiam maneo otiosus

Ex quarto pede perpauca capiuntur exempla, quae omnia fere ob enclisim vocularum tolerabimus:

Capt. 917 Cocum percontabatur, possentne
Eun. 1037 Bene, ita me di ament, factum. || Audin tu
Phorm. 239 Incertumst quid agam, quia praeter spem atque
Hec. 593 Mea causa nolo. || Nil iam istae res

ibid. 252 Haud ita decet, si perpetuam vis
ibid. 775 Oportet: quod si perficio, non paenitet...

Quo in versu cum excusandi ratio non appareat, Fleckeisenus scribi voluit 'si effecero'.

Denique tres occurrunt loci, qui vocabulum spondeo finitum exhibeant in sexto iambicorum septenariorum pede:

Asin. 416 .... contempsisti? || Perii, hospes!
Cas. 825 .... ubi tantillum peccassit
Rud. 1336 .... te mi argentum daturum

Sed ut revertamur ad institutam disputationem, quae est de spondiacis in tertio a fine pede vocabulis, iam nunc omnes locos congerere opus est, ubi spondiacae voci complura verba succedere videmus. Quo in versuum conspectu ne illi quidem eximendi erunt, quos vel spurios esse vel plane corruptos viri docti dudum suspicati sunt. Haec igitur repperi exempla:

A. in quarto senarii iambici loco

I. spondiacarum vocum

a. apud Plautum:

1. Amph. 943 .... sunt inter se quam prius
2. Asin. 800 .... mălĕ dicat: si dixerit 1
3. Aul. 336 .... ad ravim poscam prius
4. Curc. 275 .... qui missust in Cariam
5. ibid. 649 .... nec vivam nec mortuam
6. Epid. 400 .... Căvĕ siris cum filia 2
7. Men. 294 .... non nosti nomen meum
8. ibid. 484 .... quid multis verbis ⟨opust?⟩
9. ibid. 499 .... quăsĭ nomen non gnoveris 3
10. Merc. 752 .... quos inter iudex datus
11. Mil. 820 (821) ... quom stertas quasi sorbeas
12. ibid. 1095 .... nam nullo pacto potest
13. Most. 304 .... expensi inter nos convenit
14. Pers. 408 .... iniure, inlex, labes popli
15. Poen. 775 .... atque inter se dividant

16. ibid. 1143 .... sunt inter se? Dic mihi
17. Truc. 334 .... passum peperit more

b. apud Terentium:

18. Andr. 221 .... fuit olim quidam senex
19. Hautt. 472 .... ăgĕre inter se clanculum 4
20. ibid. 810 ... di deaeque omnes quantumst, Syre
21. Eun. 872 .... aeternam inter nos gratiam
22. Phorm. 911 ...... pŏpŭli, inquit, si id feceris 5
23. ibid. 927 .... me propter vos decipi
24. ibid. 985 .... ĕnĭm vero vocest opus 6
25. Hec. 487 .... quod vellem meritam scio
26. Ad. 364 .... velle. || Omnem rem modo seni
27. ibid. 392 .... Nĭmĭum inter vos, Demea 7

c. apud ceteros poetas:

28. Caecilius 57 Utinam pisciculi te schema, sine cruribus
29. Caecilius 161 Dat ieiuna anima. — Nil peccat de savio
30. Turpilius 194 Simul circumspectat: ŭbĭ praeter se neminem 8
31. Afranius 309 Hi coniecere verba inter sese acrius
32. Afranius 354 Igitur quiesce, et quŏnĭam inter nos nŭptiae 9
33. Varro, Sat. Menipp. 558 B īllŭd vero quodam mea 10

II. Vocabula spondeo terminata habemus haec

a. apud Plautum:

34. Amph. 103 ... Alcumenam uxorem fecit suam
35. Aul. 375 .... porcinam, cara omnia
36. Bacch. 856 .... inventurum te qualis sit
37. Capt. 24 (93) .... Aetoli cum Aleis
38. Cas. 59 .... consentit cum filio
39. ibid. 447 .... protollo mortem mihi
40. Cistell. 616 ...... quam uxorem duxit domum

41. Merc. 10 .... Mercator Macci Titi
42. Mil. 502 .... virgarum de te datur
43. ibid. 1135 .... exoptabam me maxume
44. Poen. 480 .... periuras. Quid postea?
45. Rud. 1195 ..... neque speravi neque credidi
46. Stich. 661 .... Dĭŏnysum mihique et tibi
47. Trin. 427[b] .... pronuper tu exactus es
48. Truc. 64 .... scortorum plus est fere

b. apud Terentium:

49. Andr. 767 animadvortendum. || Quid clamitas?
50. Hautt. 290 .... prolixus circum caput
51. Eun. 915 ...... cognoscitne? || Ac memoriter
52. Phorm. 957 .... praesentique ut sis para

c. apud ceteros poetas non exstant exempla.

B. In tertio a fine pede trochaici septenarii et octonarii

I. spondiaca vocabula

a. apud Plautum:

53. Amph. 683 .... quăsĭ dudum non videris
54. ibid. 685 .... quăsĭ multo post videris
55. ibid. 1013 .... ăpŭd omnes aedes sacras
56. Bacch. 672 .. nĭmĭs multo minus quam parum
57. Capt. 527 .... qui intro venit modo
(libri: venit modo intro)
58. ibid 929 .. ăpŭd portum mihi quas memorasti
(A et P 'ad', nisi quod I 'apud')
59. Curc. 179 .... sĭbĭ pugnas, sibi proelia
60. Men. 419 .... iam dudum, mulier, tibi
61. ibid. 630 .... huc intro tetuli pedem
62. ibid. 648 .... Palla, inquam, periit domo
63. ibid. 681 .... ut ferres paulŏ ⟨pr⟩ius
64. ibid. 965 .... intro mittar domum
65. ibid. 1090 ... post eandem patriam ac patrem
66. Merc. 860 ... nĕquĕ ventum neque grandinem
67. ibid. 988 .... cum porcis, cum fiscina

68. Most. 595 ... || Non debet. || Ne *gry* quidem (vel: *frit*)
69. Poen. 286 .... nĭsĭ sumptus sequitur, scio 19
70. ibid. 287 ..... si eum sumptus superat, soror
71. ibid. 844 ...... mălĕ par⟨t⟩um male disperit 20
72. ibid. 1420 .... ŭbĭ primum potero, ilico 21
73. Rud. 1075 .... hic noster nos non solet
74. ibid. 1423 .... fiat. Plausum date
75. Stich. 616 .... mea refert, opera utere
76. Trin. 883 .... tuom primum memora mihi
77. ibid. 898 .... suo gnato dare epistulam
78. Truc. 482 ..... meas pugnas dum praedicem

b. apud Terentium hos duos locos repperi:

79. Hec. 289 ..... factae essent multo ampliores
80. ibid. 452 .... quam causam dicam patri

c. in reliquorum poetarum fragmentis:

81. Caecilius 219 Familiae fame perbitant, ăgĕr autem stet sentibus 22
82. Novius 115 Quanti addictust? — Mille nummum. — Nihil addo: ducas licet
83. Accius, Trag. R. fr. 302 ⟨Sed⟩quid cesso ire ad eam? em praesto est: ⟨em⟩ camo collum gravem
84. Ennius p. 132. v. 90 Vahl. Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes.

II. Vocabula, quae in spondeum desinunt

a. apud Plautum:

85. Amph. 222 .... lĕgĭones suas instruont 23
86. Asin. 529 .... si mŏrĭ⟨a⟩tur mater sua 24
87. Aul. 594 .... quo incumbat, eo impellere
88. Curc. 599 .... Părăsitum ne amiseris 25
89. Men. 930 .... argentum quoi debeo
90. Mil. 715 .... nutricant et munerant
91. Pers. 826 .... făcĭebat in Ionia 26
92. Rud. 1132 .... ⟨*ex procliva pla*⟩nam tibi
93. ibid. 1268 .... nupturast mihi? || Suspicor

b. apud Terentium desunt exempla.

c. apud reliquos poetas qui versus inveniuntur corrupti sunt:

94. Accius, Trag. R. fr. 127 ⟨Deae⟩ Minervae donum armipotenti ăbĕuntes Danai dicant 27
95. Accius, Fr. P. R. 24 Baehrens: Inbecilla ob ponderitatem grăvĭtatemque nominis 28
96. Lucilius 504 Baehrens: sibi misĕrĕantur sei ipsi, vide 29
97. idem 626 Hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit

C. In iambico septenario et octonario.

98. Asin. 421 Quoi numquam unam rem me licet
99. Most 171 Ut lĕpĭde omnes ⟨mo⟩res tenet 30
100. ibid. 192 Di deaeque omnes me pessumis
101. Rud. 1284 Nam lenones ex Gaudio
102. Trin. 285 Turbant, miscent mores mali
103. Hec. 738 Quo măgĭs omnes res cautius 31
104. Amph. 999 ..... adsĭmŭlabo me esse ebrium 32
105. Ad. 271 .... nos inter nos, Ctesipho.

Ut omnes locos complectamur, qui ad rem pertinent, ea quoque exempla offeramus, quae petantur ex Publilii Syri aliorumque sententiis. Haec autem segregare opus est ab illis supra exscriptis, quoniam de textu metroque constituendis persaepe viri docti prorsus inter se dissentiunt. Qua de causa iis num insit aliqua demonstrandi vis admodum est in dubio. Si Friedrichii editionem (a. 1880.) sequimur, qui omnes comprehendit, referendi erunt hice versus:

1. ex Publilii Syri sententiis
   a. senarii desunt.
   b. trochaici septenarii

p. 53. J 61 .... ubi leges populi valent

2. ex Caecilii Balbi sententiis
   a. senarii

p. 82. 46 .... abundanti raro evenit

p. 82. 69 .... qui agnoscit, quod imperat
p. 83. 75 .... indigno laesi dolor
p. 83. 86 .... adstringit, solvit nimis
p. 83. 85 .... mensurast non proditi
p. 86. 188 .... adulator nil proficit

b. trochaici septenarii

p. 83. 81 .... quam inimicis esse arbitrum

3. ex Pseudo-Senecae 'De moribus'

a. senarii

p. 87. 12 .... secreto, laudes palam
p. 88. 61 .... a multis, multos timet
p. 90. 126 .... simulatus decor est diu

b. trochaici septenarii

p. 87. 3 .... cernuntur facta omnibus
p. 90. 119 .... non vixit causa sua

4. ex proverbiis

a. senarii

p. 94. 109 .... invitus ne servias
p. 94. 112. 113 .... alienis nunquam bonis

b. trochaici septenarii

p. 94. 78 .... quod fecit, cito desinit
p. 94. 93 .... laudaris, laus est tua

5. ex sententiis falso inter Publilianas receptis

a. senarii

p. 97. 42 .... fundari navem ancoris
p. 102. 223 .... transitur vita optime
p. 105. 321 .... re distat, non nomine

b. trochaici septenarii

p. 103. 249 .... citharoedi non potuerunt

Sed antequam de omnibus his locis — sententias nimirum neglegimus — certum fero iudicium, videntur ea mihi esse refutanda, quae Klotzius sibi excogitaverit de spondiacis verbis

interiores dipodiarum pedes amplexis. Ut enim iam supra memoravimus, ille vir doctus in ipsis illis longis vocabulis versus terminantibus aliquam excusandi ac spondei molliendi vim inesse non sensit. Quae verba quod admodum saepe coniuncta essent cum spondiaca voce, id sola linguae necessitate explicari voluit. Itaque ut aliam exploraret rationem operam dedit, qua spondei gravitatem poetas levasse nobis comprobaret. Et momenti alicuius esse putavit, quod eorum pedum arses illi nonnunquam dissolverunt, qui spondiaca verba praecedant. Cuius sententiae quid summa sit, optime cognoscimus ex eis, quae pronuntiat libri sui pp. 338. 339: „Und darin besteht der wesentliche Unterschied zwischen den beiden Ausnahmen. Während die erste mehr aus metrischer Not zugelassen sein mag, findet die zweite in rhythmischen Verhältnissen ihre genügende Erklärung.“ Iam vero ad tertium a fine pedem quod attinet, Klotzii rationem nihil fere valere ex tabulis quas supra confecimus luce clarius apparet. Hos enim numeros habemus:

1. inter 166 versus[1]), qui longo vocabulo spondeum excipiente terminantur, conspicimus 37 locos, quorum arses poetae dissolverunt.

2. In 105 exemplis, quae post spondeum complura exhibent verba, 32 dissolutae arses inveniuntur.

Ad summam igitur de 271 versibus enumeramus 69, qui illi condicioni sufficiant. Restant complura exempla, quae etiamsi admittant eandem dissolutionem tamen nequaquam flagitent, cum rhythmorum sermonisque elegantiam nullo pacto laedant synizesi vel elisione adhibita. Videmus igitur quam iustam moverit suspicionem Seyffertus de lege, quam Klotzius sibi finxerit. (Berl. ph. Wschr. 1891 coll. 926. 927.) Atque illud quoque monendum est, poetas si pyrrhichiacas arses spondeum proxime antecedentes plenam veramque excusationem esse credidissent, in iis potissimum locis secuturos fuisse

---

[1]) Neglegimus nunc eos versus, in quibus pronomina 'ille, iste' in hoc pede posita sunt; de his postea agendum erit.

hanc regulam, ubi spondiacae vocis offensionem nondum leniverunt longo vocabulo, quo ultimi duo pedes expleantur; quod minime factum esse ex numerorum ratione dilucide perspicimus. Accedit quod in uno versu etiam propter codicum scripturam dissuadetur, ne duas efficiamus breves syllabas in arsi spondeum praecedente, — dico Curc. 649, ubi libri haec tradunt: '..... nec vivam nec mortuam', Klotzius nimirum scribi iubet 'nĕquĕ vivam neque mortuam'. (l. s. p. 334). Idem fere cadit in Capt. 929, ubi codices tradunt 'ad portum' (cf. p. 28) et Klotzius praefert 'apud portum' (cf. l. s. p. 335). Ceterum non habet admirationem, in iis locis qui verba spondeo finita in tertio a fine pede praebent, plures offerri dissolutas arses quam ubi spondiaca tantum verba hoc pede includuntur; quam rem facile explicamus ex natura eiusmodi vocabulorum. Videmus enim poetas verba qualia 'crucianti', quorum magnus numerus exstat, non potuisse usurpare nisi dissoluta arsi. In talibus igitur vocabulis iure agnoscemus necessitatem aliquam sermonis.

Similem explicationem poscunt reliqua exempla, quae spondiacas voces, non exitum verborum spondiacum suppeditant. In quibus dissolutionem arsis procreatam esse ex caesurae condicionibus non negabis, si omnes versus qui huc pertinent accuratius inspexeris. Ubique enim incisio fit duabus moris ante illum locum, ita ut post caesuram flagitetur aut monosyllabum productum aut bisyllaba vox pyrrhichiaca. Neque poetas, quibus utrumque verborum genus variare licitum fuit, pyrrhichiacas voculas ullo modo praetulisse monosyllabis, luculentissime patet ex numerorum quam supra effecimus ratione, — id quod haud parvi momenti mihi videtur ad iudicium de Klotzii sententia ferendum. Quibus rebus cognitis hoc modo iudicandum erit: Plautus ceterique poetae non consulto arsim, quae antecedit spondeum, dissolverunt, ut spondiacarum vocum gravitatem levarent. Quam licentiam quod omnino aliquotiens sibi sumpserunt, plenam nanciscitur explicationem ex linguae metrique condicionibus.

Et quoniam Klotzii sententiam improbavimus, aliam ingrediamur viam necesse est, qua ea spondiaca vocabula, quae non excipiuntur longo verbo finem versuum occupante, rhythmis ita esse accommodata exploremus, ut aures non iam feriantur eorum asperitate. Ac primum quidem quod supra statuimus velim recordemur poetas cum recipiebant spondiacas voces in tertio a fine pede hanc legem constanter observasse, ut longe plerisque locis ultimos duos pedes uno verbo explerent; namque illis 106 contrariis complexi sumus omnes quos vel libris pessime habitos vel omnino spurios esse infra facile demonstrabimus. Quodsi accentuum concordantia, quae versatur in vocabulo quattuor aut quinque syllabarum versum terminante, spondeorum offensionem leniri intelleximus, alienum non est reliqua excutere exempla quae obstare videntur regulae, si quae ad illorum similitudinem conformata reperiantur. Itaque examinandum erit, quaenam ex illis verbis spondeum insequentibus tam arte inter se copulata sint, ut unius vocabuli naturam plane aequent ideoque exhibeant grammaticum ac metricum ictus consociatos.

A. De verbis arte inter se coniunctis, quae spondiacae voci succedunt.

1. De elisis voculis.

Iam igitur primum constituamus tres versus, qui eodem fere modo in longa verba desinunt atque quos supra tractavimus:

Curc. 599 .... Parasitum ne amiseris
Aul. 594 .... quo incumbat eo impellere
Trin. 898 .... suo gnato dare epistulam

Equidem hic quoque spondeorum offensionem propter vocabulorum mollitiam polysyllaborum, quae finem occupant versuum, plane dilabi existimo. Neque enim retardantur numeri elisis voculis antepositis, quae proprio accentu prorsus careant.

Eadem igitur ictuum congruentia efficitur, quam observare licuit in verbis ultimos duos pedes amplexis.

2. De praepositionibus.

Deinde tabulas percurrentes in versus incidimus, quorum extrema parte praepositiones contineantur cum substantivis coniunctae. Atque eiusmodi verba interdum subire artissimam copulationem iam antiquorum testimoniis edocemur. Ex quibus gravissimum Quintiliani hoc afferam (I, 5, 27): „Nam cum dico 'circum litora' tamquam unum enuntio dissimulata distinctione; itaque tamquam in una voce est acuta.“ Huc quoque ex Grammaticorum studiis spectant, quae Marius Victorinus praescripsit (G. L. VI. p. 23, 10 K), cuius verba repetere supersedeo[1]). Sed ipso ex Plauto discimus, quam arte talia verba inter se cohaereant. Nam cum hic illic legimus 'prŏptĕr ămōrem' 'āntĕ pĕdēs', anapaestum extra regulam formatum patiemur ob hanc solam causam, quia ambo vocabula quasi in unum confunduntur.

Quae cum ita sint, admirationem non movet, quod spondiacae in tertio a fine pede voces semel atque iterum excipiuntur verbo cum praepositione qualibet coniuncto. Cuius generis exempla habes haec:

Epid. 400 .... Cave siris cum filia
Cas. 59 Propterea una consentit cum filio

Hiat versus; neque tamen de spondeo dubitabimus. Camerarius iniecit: ⟨ea⟩ una.

Merc. 988 .... cum porcis, cum fiscina
Curc. 275 .... qui missust in Cariam
Pers. 826 ..... quem olim făcĭebat in Ionia
Rud. 1284 Nam lenones ex Gaudio
Caecilius 161 Dat ieiuna anima. — Nil peccat de savio

---

[1]) Praeterea de pronominum proclisi quam dicimus conferas velim, quae proferunt Stolz-Schmalz 'lat. Gramm.' 1900. p. 101. et Lindsay (Nohl) 'd. lat. Spr.' 1897. p. 193[6].

Hautt. 290 Capillus pexus prolixus circum caput

3. De particulis coniunctivis adverbiisque refero, quae Lindsay pronuntiavit (l. s. p. 194[7]): „Daſs die einsilbigen Konjunktionen 'et sed' u. dgl. Satzenklitika waren, ergibt sich — falls dies überhaupt eines Beweises bedarf — aus dem Versbau der alten Dramatiker, bei denen diese Konjunktionen in der Regel in den Senkungen stehen und keinen metrischen Ictus erhalten". Quarum encliticam naturam optime cognoscimus ex exemplis veluti 'non nullus; nec recte; bene dico; male dico'[1]). Imprimis autem memorandae sunt negationes, quae nonnunquam ad verbum cui subiciuntur ita se applicant, ut unum nascatur vocabulum sicut 'nolo, neclego'. Ex tali igitur verborum arta copulatione plane iustam parare licet excusationem spondiacis vocibus in hisce locis, quorum alia explicatio non exstat:

Amph. 683 Sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris

Men. 499 Etiam derides, quasi nomen non gnoveris

His fortasse recte adderis

Mil. 715 Bona mea inhiant: me certatim nutricant et munerant

Ceterum in hoc versu poeta vix potuisset spondeum evitare propter artissimum longorum verborum conexum 'nutricant et munerant'. Ordinem autem verborum genuinum ad nos perlatum esse Men. 499 et Mil. 715 Palatinorum Ambrosianique librorum congruente testimonio confirmatur (Amph. 683 A deest.). Qua de causa spondeum ex illa sede non depellamus. Ritschelium igitur in Men. 499 non sequemur, cuius lectionem Goetzius-Schoellius (Men. ed. 1889) et Brugmannus (l. s. p. 32 infra) acceperunt: 'nomen quasi non noveris', neque in Amph. 683 C. F. W. Muellerum, qui commendat (pros. Pl. p. 700[2]): 'quasi non dudum videris'; cuius scriptura mihi valde displicet simillimum respicienti versum

[1]) cf. Kuehner, 'Ausführl. Gramm. d. lat. Spr.' 1877. I. p. 150.

Ad. 271 Age inepte, quasi nunc non norimus .... ubi eandem verborum collocationem habemus. Et ad nostram sententiam fortasse facit, quod in eadem Plautina fabula infra hunc versus exitum conspicimus:

Amph. 685 .... quasi multo post videris

Quem versum quamquam editores secluserunt Mureto auctore, tamen ab illo cui debetur ad praecedentis exemplum v. 683 compositum esse apparet. Itaque qui versum scripsit, certo legerit in Amph. 683 ‘quasi dudum non videris’.

His adiungimus nonnullos locos, in quibus spondiacas voces eadem explicamus ratione:

Poen. 844 ..... male par⟨t⟩um male disperit
Curc. 649 .... nec vivam nec mortuam
Merc. 860 .. neque ventum neque grandinem
Rud. 1195 .... neque speravi neque credidi

qui versus lacunosus videdur. A probabilitate opinor non abhorret quod proposuit Sonnenschein (in Rud. ed. 1891 ad h. v.): ‘ego hŏdĭe⟨nil⟩neque’. Contra minus placet Bothii ‘neque illud credidi’, quod Leo in textum recepit; quo pronomine inserto genuinus ordo verborum turbetur. Langenus omnino eiecit versus 1193—1196 studd. Pl. p. 369.

Utcunque autem res se habet, reliquos tres locos ne mutilemus cavendum est coniecturas proferentes, quibus spondiacae voces amoveantur ex tertio a fine pede. Neque enim credibile videtur ad tantam corruptelam verba esse depravata, ut in unoquoque versu evaderet eadem vocabulorum consecutio. Ac ne illud quidem neglegendum est, quod Plautus simili condicione anapaestica verba admisit in his duobus locis:

Cas. 373 .... nec facio neque censeo
Curc. 483 .... vel lanium vel aruspicem

(quem quidem expunxit Urlichsius Mus. Rhen. vol. 23 a. 1868 p. 85). Et certam dicendi formulam in his verbis inesse comprobatur Truculenti versu 823: ‘Neque vivos neque mortuos sum —’ Neque quemquam effugiet Plautum omnino ad-

amasse verba cum paribus coniuncta particulis ita inter se opponere, ut efficiatur aliquid contrarium, veluti

Trin. 134 .... neque emeres neque venderes

Rud. 1115 .... nec vir nec mulier mihi's

et alia multa huius generis exempla invenies. Quae cum ita sint, in illis quos supra attulimus locis omnem dubitationem removendam esse censeo. Nec difficile est explicatu qua de causa poeta sibi concesserit spondiacas voces in tertio a fine loco usurpandas. Prout enim singula vocabula spondeum subsecuta arte inter se cohaerent, a veritate non aberrabimus si coniunctiones vel adverbia cum finali verbo ita confusa esse arbitrati erimus, ut ambo unius vocis aequent naturam unoque accentu efferantur. Legitimam igitur habemus spondei excusationem. Ad eandem sententiam versu quodam deducimur, quem cum illis comparare licet, dico Curculionis versum 179:

Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi proelia

ubi de mutanda codicum scriptura minime potest cogitari; sed etiam primo optutu similitudinem conspicimus, quae inter omnes hos locos intercedat. Quare hic quoque spondiacam vocem tolerabimus ob artam sequentium pedum copulationem.

Restant tria exempla, quae nisi fallor eandem interpretationem postulent:

Asin. 800 Nec ulli verbo male dicat: si dixerit

Truc. 482 Ne exspectetis, spectatores, meas pugnas dum praedicem

Mil. 820 Sed quia consimilest, quom stertas quasi sorbeas

Klotzius videlicet As. 800 et Truc. 482 spondeum explicavit ex arsi dissoluta (l. s. p. 338); qua ratione nihil profici supra exposuimus. Postremi autem versus spondeum vir doctus habet inter eos, qui leni emendatione expediantur (l. s. p. 340). Itemque iam Brugmannus de hoc exemplo iudicaverat, qui ita scribi voluerat (l. s. p. 33):

sed quia quom stertas similest quasi si sorbeas.

Cuius coniecturam vix probabimus, quippe quae ne minima

quidem librorum discrepantia fulciatur. Ac verba sane ex optimo Plautino sunt dicendi usu, id quod testatur hice versus:

Epid. 624 Estne consimilis, quasi quom signum pictum
plucre aspexeris

'consimilest' idem occurrit

Amph. 443 ...... tam consimilest atque ego

Men. 1063 .... tam consimilest quam potest

Verum in Asinariae v. 800 ne Brugmannus quidem spondiacam vocem in suspicionem adducere conatur ob hanc praecipue causam, quia „alia verborum collocatio omnino non data est" (p. 32). Sed quare gravior interpunctio spondeo excusationem paraverit, nusquam explanat. Iam igitur cum neque Klotzio neque Brugmanno astipulari possimus, ipsi videamus qua iusta ratione excusanda sint spondiaca vocabula.

Ac mea quidem sententia ad rem facit, quod illi loci omnes hanc prae se ferunt similitudinem ut coniunctiones verbaque arte conexa ultimos duos pedes amplectantur neque ulla dirimantur voce interposita[1]). Et cum plane concordent grammatici metrorumque ictus, facile numeri currunt. Unius igitur vocabuli instar esse verba quae hos pedes occupant confiteberis; qua de causa suspicionem moveamus non necesse est de spondiacis vocibus in tertium a fine pedem receptis. Atque perperam turbasse verborum ordinem Bothium arbitror, qui sic transposuit (cf. Leonis ed.) Truc. 482: '.... meas dum pugnas praedicem'. Ego quidem, quin Plautus scripserit ea quae libri exhibent, nullus dubito cum hunc potissimum versum spectem, cuius in eodem pede sibi permiserit vocem anapaesto terminatam:

Epid. 446 Nam strenuiori deterior si praedicat

quem idem Bothius depravavit contra codicum et Prisciani (I. p. 86 H) fidem sic scribendo 'si deterior praedicat'. Nec non Brugmannus Bothium secutus hanc mutationem accepit (l. s. p. 51) similitudine prorsus neglecta illa quae inter ambos

---

[1]) 'si' procliticam esse particulam ex 'sis, sultis' dilucidissime apparet.

locos est conspicua. Ceteroquin saepius usurpavit Plautus 'praedicare' in versuum fine cum coniunctione quavis coniunctum, sicut

Pseud. 192 . . . commutet meque ut praedicet
Merc. 513 Nec mos meust ut praedicem

4. De spondiacis vocibus ob interpunctionis vim excusatis.

Iam illud perspicuum est poetas spondiaca vocabula in tertio a fine loco sibi indulsisse, quae graviore interpunctione ab ultimis duobus pedibus separaverint. Quam sententiam iam a Brugmanno probatam (l. s. p. 32) Klotzius ita explanavit (l. s. p. 331): 'Andre bisher nicht angeführte Spondeen finden Entschuldigung darin, dafs sie in einem dreisilbigen kurzen Satz von einer Person gesprochen wurden und so ganz isolirt sind.' Quod attinet ad quartum senarii pedem, hanc explicandi rationem non tantum valere quantum ille sibi finxit intellegemus. Haec enim exempla velim respicias:

Most. 595 Non dat, non debet. || Non debet? || Ne[c] *gry* quidem.
Poen. 480 Perge: optume hercle periuras. Quid postea?
Men. 623 Certe familiarium aliquoi irata's. || Nugas agis.
Andr. 767 O facinus animadvortendum! || Quid clamitas?
Novius 115 Quanti addictust? — Mille nummum. — Nihil addo: ducas licet
Rud. 1423 . . . . . . cenatote ambo. || Fiat. Plausum date!

Atque Most. 595 omnes integrum reliquerunt; neque ullo modo traicienda esse verba per se elucet, siquidem 'debet' in eadem syllaba bis acuendum poeta de industria defugit. Sed in Poen. 480 nonnullis suspectum est vocabulum in spondeum deficiens, quamquam codices paululum tantummodo inter se differentes haec prabent: A 'periuras' Pall. B 'per iuras' C 'peri uras'. Ussingius autem nos revocat ad As. 293 (in ed. Plaut. fab. vol. IV, 2 ad v. 291), qui sic terminatur: 'lingua

pro illo perierat', quae verba libri quoque tradunt. Maioris autem momenti videtur, quod in Poen. 1242 propter iambici septenarii diaeresim contra codicum scripturam A et P reponere opus est:

Da pignus, ni nunc periĕrēs

(cf. Poen. ed. Goetz-Loewe 1884 et quae Leo adnotat ad h. v., de 'periero' cf. Usenerum in nov. annal. vol. 91. a. 1865 p. 226 sq.) — Itaque ne in versu quidem de quo agimus satis constat quaenam pristina fuerit forma vocabuli. Deinde in Menaechmorum v. 623 offenderit quis in hiatu 'aliquoi irata's', quem quidem Klotzius in septenariorum diaeresi legitimum ducat (l. s. p. 151). Sed fortasse erunt, qui illi non assentiantur. Quare faciam cum Brixio, qui 'aliquoii' suspicatur, quo in textum recepto omnes removeantur difficultates. (cf. Brixii ed. Men. 1873 v. 311; ed. Trin. 1873 v. 358. 558.) Eandem pronominis formam Leo quoque Plauto concessit 'studd. Plaut' 1895 p. 311. Denique de reliquorum versuum forma nemo dubitavit Rud. 1423 excepto, qui abrogatur poetae a Weisio (cf. Leonis ed.).

Ac nobis quidem omnia haec exempla oculis perlustrantibus illud potissimum exstare et eminere videtur, quod verba ultimos duos pedes amplexa gravi interpunctione seiunguntur a spondiacis vocibus, quae proxime antecedunt. Imprimis autem admonendum est illa ipsa artissime inter se cohaerere, quippe quae stabiles quasdam exhibeant locutiones. Atque tales exclamationes nullo spiritu intermisso personae effuderunt, ut ex singulis vocabulis compositas esse eiusmodi phrases vix senserint; quo fit ut etiam artiore vinculo verba inter se conectantur. Qua de causa opinari absurdum non est poetas hic quoque in extremis duobus pedibus copulandis legitimam quaesivisse spondei excusationem, quam in omnibus locis observare licuit, quos adhuc tractavimus. Atque latissime haec ratio patet Most 595 'Ne gry quidem', quae verba unius vocabuli instar esse comprobat Pseud. 877: legitur enim A et P consentientibus

Si credis, nummo: si non, ne mina quidem

Qui versus exemptus videtur lege illa qua poetae, ne duobus iambicis verbis concluderent senarium caverunt. Atque Luchsius quidem de diiambico exitu suspicionem movet (Studem. studd. I, 1. p. 61); ipse autem fatetur admodum dubitanter se coniecisse:

si credis, nummo: si non credis, non mina

Et re vera maxime displicet 'credis' in eadem syllaba bis acutum. Editores iure codicum secuti sunt auctoritatem, unde 'ne mina quidem' item atque 'ne gry quidem' pro uno haberi vocabulo apparet. Quod cum reputamus, ne in Rudentis quidem v. 1423 vexemus oportet spondiacam vocem 'fiat'. Nec magis offenderis illo 'periuras' (Poen. 480), cum rogandi formulae 'quid postea?' eandem vim tribuamus quam uni vocabulo[1]). Hac igitur ratione aptius ut mihi videtur spondeorum exempla interpretamur, quam si Klotzii sententiam secuti ex brevioribus enuntiatis excusationem spondiacis verbis paramus, quorum offensionem in Poen. 480 Men. 623 Andr. 767 quomodo tollamus minime apparet.

Huc deinde videntur esse referendi hi versus:

Aul. 375 Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia

Pers. 408 Inpure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli

De priore spondei exemplo a Brugmanno prorsus neglecto sententiam suam Klotzius haud satis dilucide aperuit; adnotat enim l. s. p. 327: 'wohl noch zu entschuldigen.' Ego quidem etiamsi linguae necessitatem quandam valere non negaverim quare in quarto senarii loco accentuum repugnantia procreata sit, tamen Plautum consuluisse asperitati spondiacae vocis leniendae confido: artam enim verborum habes copulationem, qua ultimi duo pedes a superioribus interpunctionis vi separati comprehendantur. Namque multo aegrius spondeum ferres, si terminantes duo pedes item atque ei qui antecedunt divellerentur et distraherentur.

---

[1]) Eadem verba Plautus collocavit in exitu versuum Rud. 1276 Pseud. 1092 Truc. 509.

In altero versu, quem supra attulimus, Brugmannus quidem 'ilex' iambum metiendum esse putavit (l. s. p. 30), quia Buechelerus ex Nonii libris, qui eundem versum tradidit, iambicam vocabuli formam eruisse sibi visus est. (cf. 'decl. lat.' p. 14. sive 'Grundriſs d. lat. Declin' translat. a I. Windekilde 1879 p. 31.). Quam mensuram flagitari ob metri solam rationem equidem negaverim, quoniam pedes spondeum insequentes arte copulantur verbis 'labes popli', quae intellegamus oporteat tamquam unum vocabulum. Neque vero omnino tantum valet spondei offensio, quia Plautus ipse hanc vocem ex duabus composuisse videtur compositamque esse eam fore ut intellegerent auditores exspectavit. Ex Caecilii fragmento (Com. R. fr. p. 51. v. 60.) de prioris syllabae quantitate nil efficitur. Ceterum eiusmodi exempla quae ita sunt comparata, ut totus versus quasi dissolvatur in singulas partes singula vocabula amplexas, poetae conformasse videntur paulo liberius. Namque quae sit anapaesti condicio velim consideres in hoc versu:

Merc. 846 Vitam, amicitiam, cīvitatem, lae-
titiam, ludum, iocum

5. De pronominibus in exitu versuum positis.

Pronomina personalia et possessiva haud raro accentus enclisim subire Lindsay recte monuit, qui ex tali licentia contractas eorum formas veluti 'sos' (pro 'suos') ortas esse arbitratur. Quas profecto veteres poetas interdum posuisse ut encliticas, optime confirmatur hisce Ennii versibus:

annal. 101 Vahl .... Romanus habét sas
256 .... hortantur ibeí sos
356 .... memorare solént sos

Itemque Plautus et Terentius monosyllaba pronomina 'me; te; se' nonnunquam in versuum finem ita reiecerunt, ut de eorum enclisi dubitari nequeat, — sicut in his iambicis septenariis: Asin. 411. 487. 493. Cistell. 729. Epid. 358. Mil. 1234. Pers. 43. Eun. 1012. Phorm. 486. Neque infitiabimur eundem usum

valuisse in locutionibus quales ex comicorum fabulis petere licet, veluti in 'voluptas mea', de qua Klotzius haec dicit (l. s. p. 92): „Das 'mea' hinter 'voluptas' ist offenbar ein Enklitikon; es wirft seinen Accent auf die letzte Silbe des vorhergehenden 'voluptas', sodafs 'voluptas mea' als enge auf der drittletzten Silbe betonte Wortverbindung im Verse wie 'voluptarii' galt." In hoc genere porro habenda sunt, quae Skutschius[1]) adnotat ad Epid. 179 '..... Hercúli quam illă mĭhi obiectast': „Sicher beruht die Endbetonung von 'ille' auf Enklise des folgenden Wortes (mihi)," quod idem in hos versus cadere apparet:

Bacch. 83 Úbi tu lepide voles essĕ tĭbi —
Stich. 133 Plácet illĕ mĕus mihi mendicus: —

(ceterum cf. Skutschium l. s. p. 151[3].)

Res cum ita se habeant, mirari non debemus hanc enclisim poetas usurpasse in exitu quoque versuum; ubi etiam adiuvari ea re eam concedendum erit, quod creberrime una cum versu totum enuntiatum ad finem perducitur: quo fit ut artius coniungatur pronomen cum voce quae proxime antecedit. De eiusmodi igitur locis, si spondiacum verbum exhibent in tertio a fine pede, ne suspicionem moveamus cavendum est, quamvis pauci inveniantur; namque vocabula ultimis duobus pedibus inclusa plane unius verbi sibi asciscunt naturam. Iam sequuntur versus qui huc spectant:

Curc. 179 Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi proelia

quem iam antea tetigimus (p. 38); in hoc versu ob proclisim quam apellamus pronominis extrema verba constringuntur.

Cas. 447 Stimulorum loculi. Protollo mortem mihi
Trin. 883 Faciam ita ut vis: agedum, nomen tuom primum memora mihi
Asin. 529 Te facturum divitem, si mori⟨a⟩tur mater sua

---

[1]) Forschungen zur lat. Gramm. u. Metrik, I: Plautinisches u. Romanisches 1892 p. 136[1].

Men. 294 Cylindrus ego sum: non nosti nomen meum

Omnes hi loci propter similem formationem invicem sese tutantur. Quare cum Brugmanno dissentiamus, qui Cas. 447 scripsit: 'mortem protollo mihi' (l. s. p. 50). Neque in Trin. v. 883 suaviorem verborum sonum scio an non efficiamus ita transponendo: 'agedum primum nomen tuom memora mihi'. Ceterum iisdem verbis, quae ultimos pedes occupant, Plautus usus est in his versibus:

Aul. 321 .... est celerior? memora mihi.

Capt. 270 ... an liber mavelis, memora mihi

Itemque in Asin. 529 verborum ordo stabilitur his locis collatis, ubi similia vocabula in versuum fine redeunt nulla voce interposita:

Curc. 642 .... quae fuit mater tua

Epid. 590 ..... non ergo haec mater meast

Men. 19 .... ut mater sua

Qua de causa nobis non probatur, quod Bothius et Ritschelius voluerunt: 'si mater moriatur sua' (cf. Asin. ed. Goetz-Loewe 1881.). Nostrae autem rationis quasi fundamentum est Menaechmorum v. 294, cuius spondiacum in quarto pede vocabulum ne sollicitemus dissuadetur etiam Ambrosiani testimonio. Quo in codice verba item disposita fuisse atque in Palatinis dilucide ex his frustulis perspicimus: 'nosteinomenmeum'. Klotzius nimirum negat genuinam Plauti dictionem ad nos esse perlatam, quia legi, quam de spondeis admissis sibi excogitavit, verba non sufficiunt (cf. p. 340, ubi adnotat: 'Umstellung!'). Et iam ante Klotzium perperam mutaverunt versum Bothius, Ritschelius, F. Schoellius verba sic traicientes: '..... nomen non nosti meum.' (cf. F. Schoellii ed. Men., 1889). Illud quoque nostram commendat sententiam, quod nonnulli exstant versus qui eandem vocabulorum copulationem in fine praebent; quorum repperi hosce:

Amph. 18 .... eloquar nomen meum

Men. 337 .... noverit nomen meum

Truc. 761 .... faxo erit nomen tuom

Accedunt qui aliis pronominibus cum eodem substantivo coniunctis concluduntur:

Stich. 239 .... Non id est nomen mihi
Trin. 889 .... id est nomen mihi
Pseud. 655 .... hoc nomen mihist
Pers. 623 .... Quid nomen tibist?
Pseud. 637 .... Id est nomen mihi
Pseud. 639 .... Quidquid est nomen tibi
Stich. 240 .... id fuit nomen tibi
Cistell. 772 ...... sed quid est nomen tuae
Men. 498 .... quaeso, quid nomen tibist?

Dicet quispiam verba ita commutari posse, ut salva verborum consecutione 'nomen meum' tamen depellatur spondeus ex illa sede, sic scribendo: '.... nosti non nomen meum'. Quae ratio non minus impugnatur codicum scriptura quam illa quae viri docti proposuerunt. Maxime autem displicet propterea quia Plautus huic verbo semper praeposuisse negationem videtur. (Conf. Men. 499 'quasi nomen non noveris' et Rud. 730 Asin. 348 Epid. 480). Quae cum ita sint, in omnibus illis spondeorum exemplis integra relinquamus librorum verba, ne Plautum ipsum corrigamus. Neque quicquam impedit, quominus quae iam supra commemoravimus de pronominum enclitica natura in locos illos convertamus. Habemus igitur legitimam spondiacarum vocum excusationem. Ac vera esse quae dicimus iis potissimum versibus confirmatur, quorum in eundem pedem iisdem condicionibus servatis poeta receperit anapaestica vocabula:

Merc. 705 .... rediit uxor mea
Pers. 579 .... vendidero pretio suo
Aul. 464 .... subriperent misero mihi
Trin. 918 .... egomet memini mihi
Truc. 431 .... paeniteat mittas mihi

de quibus postea disserendum erit.

Denique duo restant versus, qui cum illis quos supra tractavimus aliquam fortasse similitudinem exhibent, etsi non pronominibus occupantur ultimi pedes. Quorum priorem sic tradunt libri:

Men. 681 Tibi dedi equidem illam, ad phry-
gionem ut ferres, paulo ⟨pr⟩ius

Hiatus mihi videtur non esse tolerandus, quamquam Klotzius in iambicorum septenariorum diaeresi eum non impugnavit. (l. s. p. 146 sq.). Quem sine ulla verborum commutatione arcebis ab illo loco ita pronuntians:

Tibi dedī ĕquidem illam ad phrygionem ut ferres paulo prius

(ad hunc hiatum conferas velim quae Klotzius profert exempla l. s. p. 135). Aliter Seyffertus numeris mederi studuit transponendo 'Tibi equidem dedi illam —' (Berl. philol. Wochenschrift 1890 p. 214). Iam cernimus hic nulla machina spondiacam vocem ex tertio a fine pede posse eici, et in altero versus dimidio genuinam verborum speciem codices nobis servasse ex Menaechmorum v. 426 apparet, ubi eadem vocabulorum consecutio traditur: 'ad phrygionem ut deferas'. Itaque ultro adducimur ut spondei asperitatem arta copulatione 'paulo prius' quodammodo molliri censeamus; haec enim verba propter accentus enclisim non minus arte constringuntur quam 'pauló post, multó post, multó minus,' quae tamquam unum vocabulum habenda esse Marius Victorinus testatur his verbis (G. L. VI. p. 23, 10): „Sed ne ea quidem, quae cum praepositione dicuntur, circumpungetis ut 'circumduci' et 'circumveniri' et 'circumplecti' et 'nonnulli' et 'paulopost', nec haec ut 'ingalliam, initaliam', nec hoc nec illud quae infinite dicuntur." Ac ne illud quidem neglegendum est, quod eadem verba 'paulo prius' eodem versus loco offeruntur Cist. 546. et Pseud. 896. Imprimis autem inter anapaesticarum vocum exempla unum invenitur, quo collato versus quem tractamus ab omni defendatur mutatione:

Men. 873 Vel hic qui insanit quam valuit paulo prius

Eadem condicione spondiacum vocabulum Plautus sibi concessisse videtur in hoc altero versu:

Amph. 1013 In medicinis, in tonstrinis, apud omnes
aedes sacras.

Brugmannus (l. s. p. 27) et Klotzius (l. s. p. 46) contenderunt quidem 'omnis' interdum corripuisse primam syllabam. Argumentis autem, quibus Klotzius sententiam suam fulciri putet, nihil fere evincitur. Pleraque enim exempla, quibus dubiam vocis prosodiam demonstrari censeat, per se explicantur ex variis licentiis, quas poetae sibi sumpserint in versuum initio. Quos quamvis severe legem observaverint ut anapaestum totum una voce comprehenderent, tamen ineuntes versus paulo liberius formasse viri docti inter se consentiunt. Legitima igitur habenda erunt haec exempla (Leo 'studd. Plaut'. pp. 242. 243):

Poen. 834 omnia genera
ibid. 905 omnia memoras
Rud. 1100 omnia istaec
ibid. 1359 omnia ut quidquid
Stich. 336 omnia membra
ibid. 526 omnium me exilem
Trin. 933 omnium primum
Stich. 114 omnibus os
ibid. 684 omnibus modis
Mil. 1148 omnia dat

Nec magis comprobavit sententiam suam his versibus allatis:

Pers. 775 bĕne ŏmnĭbŭs
Trin. 621 sĭne ŏmni

in utroque legitime corripiuntur iambi.

Trin. 235 ōmnĭŭm primum (Goetz)
ōmnīum primum (Leo)

ad dactylum pro anapaesto usurpatum cf. Klotzium l. s. p. 59; de synizesi '— ium' respice quae Spengelius disputat in 'Reformvorschläge zur Metrik d. lyr. Versarten b. Plautus —' 1882 pp. 318. 319.

Amph. 55 omnibus isdem (Leo l. s. p. 238 sqq.)
Capt. 536 mihi res omnis in incerto (Leo l. s. p. 250)

ubi de scriptura non constat; aliter Fleckeisenus, aliter Brixius (Capt. 534). Neque magis constat

Truc. 447 Quam mihimet ōmnĭă qui mihi facio mala

Sed Fleckeisenum secutus Leo verba traiecit hoc modo: 'Quam mihi, qui mihimet omniă făcio mala'

Denique corruptus Hec. 367. Sed Hec. 867 'omnia omnes' tolerari potest, quamquam C. F. W. Muellerus transposuit 'pros. Pl.' p. 433.

Haec sunt quibus priorem vocis 'omnis' syllabam in irrationalibus quae appellantur priscos poetas habuisse Klotzius confirmari ducat: cuius ad sententiam nescio an nemo quisquam accessurus sit. Immo vero semper productam Plautum sensisse hanc syllabam evidenter ex eo apparet, quod haud raro in paenultimo pede hoc vocabulum adhibuit, — id quod his versibus illustratur:

Amph. 473 . . . . . . igitur demum omnes scient
Bacch. 547 . . . . ipsi in sese omnis habent
ibid. 895 . . . . . . Saturnus dique omnes ament
Capt. 477 . . . . faciunt: sese omnes amant
Curc. 238 . . . . hirae omnes dolent
Mil. 501 . . . . di deaeque omnis ament
Most. 655 . . . . di deaeque omnes duint
Poen. 553 . . . . . . omnem, quippe omnes simul
Trin. 667 . . . . amoris teneo omnis vias

Ac ne in illis quidem versibus qui sequuntur offendere licet, quia 'res' encliticum adhaeret vocabulo 'omnis':

Ad. 364 . . . . Omnem rem modo seni
Cas. 506 Quinque hanc omnem rem
Hec. 738 Quo magis omnis res cautius
Hec. 194 = Lucilius 593 Baehrens: Habes omnem rem

Extra autem regulam 'omnes' conspicitur in secundo pede iambici septenarii in codd. corrupti:

Most. 171 Vt lepide omnes ⟨mo⟩res tenet

Cuius versus numeros non reprehendes respiciens hunc iambicum octonarium, qui illegitimum spondeum in eadem sede ostendit:

Trin. 285 Turbant, miscent mores mali, rapax, avarus, invidus

Verum ut ad id revertamur unde degressus est sermo, aliam ac spondiacam mensuram 'omnes' in Amphitruonis v. 1013 vix probabimus, cum quae Klotzius argumenta dedisse sibi visus est quibus syllabae correptio comprobaretur, plane invalida esse intellexerimus; itaque aut mutandum erit 'omnes apud aedes sacras' aut eandem spondei excusationem suspicabimur hoc quoque loco poetam appetivisse, quam adhuc animadvertimus in omnibus spondiacarum vocum exemplis. Ac verba quae finem versus tenent unius vocabuli naturam induere cum aliqua probabilitate conicimus; neque enim laxe cohaerere 'aedes sacras' per se intellegitur, quoniam Plauto omnino non licitum fuit ea discerpere vel omittere adiectivam vocem. Igitur ambo verba coniuncta haud scio an recte interpretemur stabilem quandam locutionem usu receptam. Et non absurdum esse quod diximus Ciceronis verba confirmare videntur (de domo cap. 49 § 128): 'Sed quia consecrabantur aedes, non privatorum sed quae sacrae nominantur'.

B. De spondiacis in antepaenultimo pede vocabulis, quorum gravem accentum poetae ex thesi amoverint.

Adhuc de iis spondeorum exemplis disputavimus, quae ex ultimorum duorum pedum artissima copulatione iustam plenamque habent excusationem. Nunc reliqua videamus. Ac primum quidem quae paulo ante statuimus de pronominum enclitica natura, in hac quoque quaestione valere agnoscendum erit. Observamus enim poetas in illo pede non detrectasse spondiacas voces, quibus pronomina quaedam adhaereant; putandum igitur erit offensionem enclisis vi ita leniri, ut aures non iam laedantur spondeorum asperitate. Quorum versuum haud exiguam partem legitime conformatam esse viri docti iam dudum exploraverunt. Nihilominus eos quoque coniunctos in unum oportet tractemus. Itaque agendum est

1. De praepositionibus cum pronominibus coniunctis.

Hanc rem et Brugmannus (l. s. p. 22) et Klotzius (l. s. p. 324) tetigerunt. Itemque ad hanc causam pertinent quae Lindsay protulit de tali verborum copulatione (l. s. p. 192[3]): „Bei Plautus und Terenz fällt in Ausdrücken wie ‘in me, ad me, inter se’ der Ictus in der Regel auf die Präposition, ... aufser wenn das Pronomen betont (oder elidiert) ist.“ In tertio a fine pede posita inveniuntur haec exempla:

a. apud Plautum:

Amph. 943 .... sunt inter se quam prius
Most. 304 .... expensi inter nos convenit
Poen. 775 .... atque inter se dividant
Poen. 1143 .... sunt inter se? dic mihi

b. apud Terentium:

Hautt. 472 .... agere inter se clanculum
Eun. 872 .... aeternam inter nos gratiam
Phorm. 927 .... me propter vos decipi
Ad. 271 .... nos inter nos, Ctesipho
Ad. 392 .... Nimium inter vos, Demea

c. aqud ceteros poetas:

Turpilius 194 Simul circumspectat: ubi praeter se neminem
Afranius 309 Hi coniecere verba inter sese acrius
Afranius 354 Igitur quiesce, et quoniam inter nos nuptiae

2. Sequuntur alia vocabula cum encliticis coniuncta.

Amph. 685 .... quasi multo post videris
Bacch. 672 .... nimis multo minus quam parum
Ad. 364 .... Omnem rem modo seni
Asin. 421 Quoi numquam unam rem me licet
Hec. 738 Quo magis omnis res cautius

Eius generis locos ex secundo senariorum pede depromptos congerere omittamus, cum de hac licentia poetis concedenda viri docti inter se non dissideant.

3. De pronominibus singillatim dissertur, quae spondiacis verbis proxime succedunt.

Poetas enim cum supra didicerimus vocabula quae ultimos duos pedes comprehendunt enclisi pronominum adhibita in unum confudisse, id quoque interdum spectasse haud inepte suspicabimur, ut eadem licentia usi gravem verborum accentum ex interiore thesi moverent. Quod factum esse ex his versibus elucet:

Rud. 1075 .... hic nostér nos non solet

sic P; A deest; cf. Klotzium l. s. p. 331.

Mil. 1135 .... exoptabám me maxume

sic P; 'me' om. A; 'me exoptabam' Bentleius.

Bacch. 856 .... inventurúm te qualis sit

P, nisi quod 'siet' exhibent; 'venturum' D; A deest; 'te inventurum qualis sit' Fleckeisenus, cui astipulatur Goetzius in ed. Bacch. 1886.

Capt. 929 .. ad portúm mihi quas memorasti

P et A, 'apud' I; 'mihi' om. I F; cf. Klotzium l. s. p. 335.

Stich. 661 .... Dionysúm mihique et tibi

P; A deest; de singulis vide Stichi ed. a Goetzio recognitam; Klotzium l. s. p. 337.

Amph. 222 .... legionés suas instruont

P; A deest; de metro statuendo viri docti dissentiunt; Goetz-Schoell et Leo trochaicum septenarium discribunt.

Itemque ex accentus enclisi forsitan excuses hos locos:

Amph. 999 ..... adsimulabó me esse ebrium

P; A deest

Eun. 915 Amabo, quid ait? cognoscítne? || Ac memoriter

Phorm. 957 .... praesentíque ut sis para

Ambigi licet de huiusce exempli explicatione:

Men. 930 Perdormisco, si resolvi argentúm cui debeo

P; A deest; conf. Klotzium l. s. p. 151 de hiatu in caesura; Versum delevit Ussingius.

In hac tota diiudicanda quaestione aliquid fortasse proficimus nonnullos versus respicientes, qui spondiacam vocem offerunt in secundo senarii pede. Quorum imprimis hos indicabo:

Aul. 372 Vt bene haberém me . ...

B[2] 'haberem me'; DIFZ 'haberem'; 'me haberem' Scaliger, Guyetus, Bentleius, Goetzius, Leo.

Amph. 771 Qua hodie meus vir donavít me ....

P; 'me donavit' Bothius, Goetz-Loewe ed. Amph.; de 'meus me' cf. quae Leo adnotat.

Epid. 197 Periphanem, per omnem urbém quem ....

P; 'quem omnem per urbem' Bothius, cuius lectionem in textum recepit Goetzius ed. Epid.

Men. 664 Opera reddetur quandó quid ....

P; B[1]CD 'operam'; 'm' expunxit B[2].

Curc. 628 Phaedrome, obsecro, servá me ....(P)

Similitudinem, quae intercedat inter omnes hos locos, Klotzius plane neglexit; ad unum solum Rudentis v. 1075 adnotat l. s. p. 331 „scheint 'hic noster nos' Enklisis"; Capt. 929 et Stich. 661 ex dissolutis arsibus excusari putat. Iam igitur etsi Leo iure fortasse verborum transpositionem laudavit Aul. 372 et Amph. 771, in reliquis exemplis de librorum fide dubitare non decet, cum ex pari omnium compositione cum consilio poetam verba ita disposuisse colligendum sit. Itaque ex pronominum enclisi recte nos interpretari spondiacas voces tertium a fine pedem occupantes mihi quidem persuasum est. Item Leo quoque sensisse videtur, qui ad Bacch. 856 adnotat: „'inventurum te' sub uno accentu." Talem autem licentiam Plauto si concedimus in hoc versu, non est cur abrogemus ubi ob metri naturam eadem explicatio flagitatur. Quam in Stichi v. 661 valere 'Dionysum mihique et tibi' testatur anapaesti exemplum simili ratione compositum Carm. Lat. Ep. 64, 4 B 'have et vale, quae optas, eveniant tibi et tuis'. Ac ne illud quidem putandum est, necessitate quadam linguae aut numerorum coactum poetam sibi indulsisse spondiaca verba. Videmus enim quam facili opera versum ita componere potuerit, ut evitaret spondeum. Unde concludimus poetas nequaquam abhorruisse a spondiacis vocabulis in illam sedem recipiendis, simulatque ratio eis apparuit qua spondeorum asperitatem mollirent, — id quod optime ad ea quadrat quae adhuc de spondiacis verbis exploravimus.

Supersunt tres loci Amph. 999 Eun. 915 Phorm. 957, quorum de genuina scriptura suspicionem moveamus non necesse est, quamquam elisas voculas poetae plerumque non videntur duxisse iustam spondei excusationem (conf. pp. 22. 23). His enim locis particulae 'que, ne' elisae aliam habent vim atque 'es, est' veluti in 'monstratu(s) est' Poen. 959. Namque per se apparet 'praesentique' eundem flagitare accentum atque 'persentirem' vel tale quid, sive eliditur ultima syllaba sive non eliditur. Itaque non est cur offendamur, quod Eun. 915 Phorm. 957 spondeus non uno excipitur vocabulo ultimos duos pedes amplexo. Neque astipulandum erit iis quae Lindsay de tali enclisi coniecit (l. s. p. 188): „Auch fällt, wie es scheint, bei Plautus bei Elidierung des 'e' von 'que ne' der metrische Ictus regelmäſsig auf die Silbe, die bei Fehlen der Partikel den Accent zu tragen hat". Iam igitur Amph. 999 verisimillimum est, pronomen 'me' elisum ac spondiacae voci suffixum Plauto idoneum visum esse quo leniatur spondei offensio. Quare Bothii transpositionem 'adsimulabo esse me ebrium' noli probare, praesertim cum omnium librorum congruentia verba defendantur a coniecturis.

Restat ut breviter exponam de Menaechmorum versu 930 (cf. p. 52), cuius hiatu qui in caesura traditur editores veluti Goetzius et Leo non offenduntur. Brixius solus hiatum tolli indicat scribendo 'quoii' (cf. Men. ed. a. 1873 in appendice ad v. s.). Idem retinet hanc formam Men. 492 et Trin. 358 558[1]). Equidem ut talem hiatum poetas admisisse credam, hoc loco non commoveor, praesertim cum et ante et post versum Ritschelius lacunam signaverit. (cf. Men. ed. a F. Schoellio recognitam a. 1889). Ita in hoc quoque versu voculam intercidisse facile opinamur. Neque displicet quod Muellerus post 'resolvi' inseruit 'ei' (in pros. Pl. p. 558). Has igitur habemus rationes duas: unam ut restituamus 'quoii' bisyllabum;

---

[1]) de 'quoii' cf. Ritschelii op. II. p. 421 sq; Niemeyer ad Trin. 358 Mil. 351.

quo in textum recepto hiatum et spondei offensionem removemus; alteram autem quisquis vult probari, qua usitatior forma 'quoi' servetur, facere non poterit quin spondeum agnoscat sive tolerat sive tollit hiatum. Itaque quaestio exoritur, quomodo accentuum insuavitatem spondiaca voce effectam Plautus leniverit. Cogitaverit quispiam de enclisi pronominis versus respiciens quos supra tractavimus. Sed erunt fortasse qui relativum pronomen enclisim subire denegent, siquidem 'quoi' cum verbo insequente arte cohaeret. Itaque ad id pervenimus, ut ex proclisi quadam pronominis ultima duo verba 'quoi debeo' ita inter se coniuncta esse credamus, ut plane aequent unum creditoris vocabulum sub uno accentu elatum. Quod si verum est, eandem habemus excusationem quam in plerisque spondeorum exemplis cognovimus.

4. Quibus aliis licentiis usus Plautus in nonnullis versibus gravem verborum ictum ex thesi moverit.

Quorum in numero primus habendus est Menaechmorum v. 630, quem Palatini codd. in orthographicis tantum discrepantes ita praebent:

> Neque edepol ego prandi neque hodie huc intro tetuli pedem

Aliam verborum collocationem aegre efficiemus. Atque sane genuinum eorum ordinem libris servatum esse similes versus testantur, veluti

> Men. 381 Nísi hodie numquam intro tetulit . . . . .
> Most. 471 Nemo íntro tetulit . . .

Itaque nequaquam licet divellere verba 'intro tetuli' in Men. v. 630, neque spondiacum in tertio a fine pede vocabulum sollicitabimus. Et in hoc verborum contextu facile explicatu est, curnam Plautus numerorum elegantiam spondeo laedi non senserit: adverbium enim 'intro' tam arte cum 'tetuli' copulatur, ut proprio accentu abiecto cum illo in unum coalescat; habemus igitur eandem accentuum rationem

atque in 'circumspicitis' aliisque compositis verbis. Unde hiatus quoque iustam explicationem habet, quem non vexabimus in

Trin. 10 Sed ea huc quid intro ierit inpulsu meo

(cf. Klotzium l. s. p. 169.) Quod comprobatur imprimis hoc versu, qui eandem vocem cum sequente verbo arte coniunctam in illa sede exhibet:

Merc. 1010 Eutyche, hanc volo prius rem agi, quam meum intro refero pedem

neque absurdum fortasse videtur opinari 'meum' synizesis vi contractum prorsus absorberi elisione, cum in interioribus dipodiarum pedibus raro poetae corripuerint iambos (cf. Klotzium l. s. p. 56 sq.); simili modo pronomen eliditur Stich. v. 39: 'Quia pól meo animo ómnis sapientis'. Maxime autem sententia, quam explicavimus de Men. 630, fulcitur hoc loco collato, qui illi simillimus est:

Men. 965 Hic ero usque: ad noctem saltem, credo, intro mittar domum

ubi editores praebent 'intromittar' continua scriptura.

Sequitur versus, cuius primariam formam ex illorum exemplo (Men. 630. 965.) recuperare fortasse licet; qui qualis libris traditur metro non sufficit:

Capt. 527 Perdidit me Aristophontes hic qui venit modo intro

Atque ut versum sanaret iam Camerarius admodum leni usus transpositione scripsit 'qui intro venit modo', quo remedio restituit trochaicum tetrametrum. Cui astipulantur F. Schoellius (ed. Capt. 1887) et Goetzius-Schoellius in min. Plaut. fabul. editione. Quam coniecturam si quis probarit, non magis opinor in spondiaca voce hic offendet quam Men. 630. Quamquam Leo hanc emendationem reiecit ob hanc ut videtur causam, quia totam scaenam variis metris perscriptam esse ideoque non satis apparere putavit, quomodo dimetiendi essent singuli pedes. Sed cum videamus omnes fere totius scaenae versus quam male habiti sint codicibus, de trans-

ponendis verbis haud dubitabimus. Atque Camerarium secuti plane supervacanea esse arbitrabimur, quae viri docti ad tollendam spondei offensionem proposuerunt, ut Fleckeisen: 'qui intro advenit modo', F. Schoell: 'intro qui venit modo' ('hic' delet; cf. quae adnotat p. 120), Niemeyer: 'istic, qui venit modo intro'. —

Simili ratione ut expediamus difficultates suadeam in versu, qui ita legitur:

Mil. 1095 De concubina? nam nullo pacto potest

Spondeum ut depellerent ex quarto pede Ritschelius scribi voluit: 'nam nullo *ea* pacto potest' et Fleckeisen: 'nam nullo *haec* pacto potest'. Tales voculas quamquam facile omitti a librario sane confitemur, tamen in textum recipiamus cavendum est si sequentes versus turbantur eiusmodi additamentis. Itaque cum illis non faciamus, qui in v. 1096 'haec' delent (quod solus omittit B) eiusque vocabuli in locum alia substituere verba coguntur. Ac ne reliqui quidem editores accesserunt ad illorum sententiam. Quae cum ita sint, Plautum hic non evitasse spondiacam vocem credendum est, quia ambo verba 'nullo pacto' ita inter se cohaerent, ut tamquam unum efficiant vocabulum. Quae ratio iis versibus comprobatur qui eorundem verborum artum conexum ostendunt, veluti

Bacch. 179 Qui abire hinc nullo pacto possim......
ibid. 479 Nullo pacto res mandata potest agi.....
Most. 1054 Nam scio equidem nullo pacto iam esse posse........
Pseud. 94 Profecto nullo pacto possum vivere

Similis est spondiacae vocis condicio in hoc versu:

Men. 484 Idem ego dicebam. quid multis verbis ⟨*opust?*⟩

Vocabulum quo versus finitur deperditum Pylades supplevit; itaque Klotzius, quippe qui excusandi spondei rationem non videat, exemplum omnino suspiciendum esse putat. Sed mihi procul dubio videtur, quin Pylades recte adiecerit 'opust' (item Seyffertus iudicavit Berl. philol. Wschft. 1891 col. 927). Namque desideramus verbum, quo non tantum versus sed

etiam totius enuntiati conclusio fiat; et cum eadem dicendi figura haud paucos versus Plautus terminaverit, de supplenda voce ambigi vix potest. (conferas velim Amph. 445 777 Bacch. 483 Poen. 113 Rud. 85 135 Trin. 553). Nec prorsus desperandum est de spondei explicatione. Primum enim nil obstat, quin ultimos duos pedes verbis arte coniunctis ita occupari existimemus ut suavior efficiatur sonus spondeique asperitas infringatur. Neque enim usquam illa verba diri-muntur vocula quavis iniecta, id quod evidenter apparet ex locis supra allatis; ac ne ubi inverso quidem verborum ordine poeta usus est, artum conexum dissolvit. ('quid opust verbis?' invenitur Amph. 615 Aul. 468 Bacch. 486 Capt. 937 Cistell. 94 Curc. 79 Mil. 1213 Most. 993 Poen. 436 579 Rud. 590). In nonnullis quibusdam versibus dicet quispiam verba distrahi caesura; quos si accuratius inspexeris, aliis ac legitima caesuris incidi videbis semiternaria vel semi-septenaria:

Cistell. 94 Vt ego illum vorsarem. || Quid opust verbis? consuetudine

Curc. 79 Solet esse. || Quid opust verbis? vinosissumast

Most. 993 Perii hercle. quid opust verbis? ut verba audio

Maxime autem spondiacum verbum ex natura talis exclamationis excusabimus, quam facilius ac volubilius efferri longo tardioreque enuntiato per se manifestum est, praesertim cum breviter quasi praecidatur oratio eiusmodi vocibus. Atque hoc sane concedemus, huius locutionis vocabula 'multis verbis' eo artiore conexu cohaerere, quia non separata exstant in longiore enuntiato sed brevis instar sunt formulae. Ita igitur accidit ut 'multis' in hoc verborum contextu aliquantum proprii accentus amiserit eaque de causa quarto senarii pede inclusum non tantum obtundat aures numerosque retardet quantum in ampliore et liberiore verborum consociatione. Itaque non est cur offendamus in Menaechmorum v. 484 traditumque vocabulorum ordinem turbemus, ut Ritschelius et Bothius fecerunt; Ritschelius enim scribi voluit: 'verbis quid

multis', Bothius ita transposuit: 'multis quid verbis'. Qua in re dolendum est quod Ambrosiani testimonium desideratur, ut Palatinorum fide sola innisi nostram sententiam fulciamus. Sed ut praetermittam libros, ne ex sermone quidem Plautino videtur verba ita invertere ut 'quid' obtineat secundum locum, cum tales interrogationes quas appellamus rhetoricas ab interrogativo pronomine ordiri soleant, id quod his illustratur exemplis:

Poen. 702 = Eun. 568 Quid multa verba?
Trin. 770 Quid tum postea?
Rud. 177 Quid id refert tua?

et ea ipsa in locutione, de qua actum est (pp. 57. 58).

C. De spondiacarum vocum exemplis, quae carere videntur omni excusatione.

Iam vero ad eos transeamus versus, quorum spondiaca verba quanam ratione sibi indulserint poetae non satis clare et distincte perspiciamus. Atque initium faciamus ab hoc loco facillimo:

Cistell. 515 Itaque me Ops opulenta, illius avia — || Immo mater quidem

Sic P et A. Idem una cum antecedente versus legitur apud Priscianum (I p. 322, 7 Hertz) librorum scriptura haud multum discrepante. Nos quidem Brugmanno vix assentiemur, qui hoc exemplo neglecto in aliis versibus qui 'immo' exhibent post hanc vocem inseri voluit 'enim' vel tale quid (cf. l. s. pp. 24. 25), „cum 'immo, immo enim, immo hercle, immo etiam' nullo fere notionis discrimine a poetis usurparentur." Nec vero magis placet quod Klotzius priorem syllabam interdum correptam esse opinatur (l. s. p. 48). Qui vir doctus omnino silentio premit, iam C. F. W. Muellerum demonstrasse ficticiam esse hanc prosodiam 'ĭmmo', qui iudicium suum his verbis comprehendit (pros. Plaut. p. 440): „Hiernach erscheint es mir keinem Zweifel zu unterliegen, daſs an 'ĭmmŏ' nicht im entferntesten zu denken ist." Ut brevis sim, patet

verba 'mater quidem' arte coniuncta unoque accentu esse elata; namque eiusdem vocabuli enclisim facile cognoscimus ex 'siquidem, quandoquidem' similibusque copulationibus. (Conf. Skutschium in libro supra allato p. 154 et quae supra disputavimus de 'ne mina quidem, ne gry quidem' pp. 41. 42.)

Duos porro habemus versus, quorum spondiaca vocabula invicem se tutantur:

Men. 648 Nil mihi tecumst. sed tu quid ais? || Palla, inquam, periit domo

Phorm. 911 Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris

Brugmannus utrumque omisit; Klotzius disseruit de Phormionis exemplo, quod nimirum ex dissoluta arsi interpretatur; idem nos revocat ad Phorm. 667 (cf. l. s. p. 341): 'His rebus sane pone, inquit, decem minas', quo de versu admodum dubito (cf. Luchsium l. s. p. 64; Haulerum in adnot. ad h. v.). Ac primum quidem noli putare 'inquám, inquít' in ultima ictu percussum his tantummodo locis inveniri; 'inquám' occurrit Pers. 423 Rud. 688; 'inquít': Mil. 61 63. Fleckeisenus igitur vix recte mutaverit in utraque Ter. fabularum editione:

Phorm. 911 Nam qui erit rumor, ínquit, id si feceris

(deleto 'populi'). Et quamvis transpositio 'id si' lenis videatur, tamen eam redarguemus, quippe qua primaria verborum consecutio perperam turbetur, ut ex his similibus versibus elucet:

Curc. 243 . . . . sat bonast. si id feceris
Trin. 85 . . . . astat summo: si id non feceris
Mil. 1365 Si id facies, tum demum scibis . . .
Capt. 196 . . . . si id facietis, levior labos erit
Mil. 1417 Quid, si id non faxis? || Vt vivam . . .
Poen. 1251 . . . . primum, si id fieri possit

Rursus inversum verborum ordinem his tantum locis observamus:

Eun. 1056 . . . . novi te. hoc si feceris (A)
Lucilius 590 Baehrens (= 691 Lachmann) . . . . hoc cum feceris

Etiam maioris momenti videtur, quod eadem vocabula atque Phorm. 911 anapaestum subsecuta redeunt in huiusce versus exitu:

Eun. 862 Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim

A 'fecero'; B E P om. 'si id fecerim'; in P rasura est; Bembini lectio Donati testimonio confirmatur (cf. Donati comm. ed. Wessner vol. I, p. 456 ad v. 862). Fleckeisenus etiam in hoc versu traiecit 'id si fecerim', quam rationem perversam esse ex locis supra allatis apparet. Itaque Phorm. 911 temptandam esse verborum collocationem ille vir doctus nobis non persuadebit. Quem locum si contulerimus cum Eun. 863, ubi eadem sede continetur anapaestus, haud inepte spondiacae voci excusationem parabimus ex concinnitate et copulatione verborum, quibus versus terminetur (conf. quae exposuimus p. 38 sq. de As. 800 ..... male dicat: si dixerit). Sed hoc sane concedo hanc explicationem in Menaechmorum v. 648 nihil valere; tamen non moverim suspicionem de spondiaco vocabulo in tertio a fine pede collocato. Neque enim scio an tale verbum quale 'inquam' orationi insertum poetae omnino interdum audierint leniore accentu, sicut *φησὶ* Graecorum vox est enclitica, quae careat proprio accentu. Itaque nostra est opinio in Menaechmorum versu 'inquam' leniter ac sine gravi accentu efferri et quasi adhaerere praecedenti 'palla'.

Deinde ex Poenulo depromuntur haec duo spondeorum exempla:

Poen. 286 Non enim potis est quaestus fieri, nisi sumptus sequitur, scio

ibid. 287 Et tamen quaestus non consistet, si eum sumptus superat, soror

Nec vero omnia plana videntur, quae codices tradunt; Palatini enim hunc unum tantummodo versum exhibent metro non sufficientem, de quo libri non multum inter se discordant:

Non enim potest quaestus non consistet si eum sumptus superat soror

In Ambrosiano duorum versuum memoria servatur (quae cursivis litteris imprimenda curavi non pro certo leguntur):

non*enim*po*tis*.*s*.qu..*st*.sf*i*er*in*.........qu*i*.*u*
et*tsmen*qu*ua*es*tus*non*consis*.*e*...*e*..*sumptussu*.........

Apud Charisium (p. 223, 22 Keil) prior versus legitur, quem Palatini cum altero in unum consutum praebent:

Non enim pote quaestus fieri, nisi sumptus sequitur scio

Priorem igitur versum eadem fere specie Charisius et Ambrosiani scriptor legerunt nec non spondiacam vocem 'sumptus' tertio a fine pede inclusam. Cuius idoneam excusationem me non videre libere confiteor. Nam quod Klotzius statuit de dissoluta arsi (l. s. p. 336) non quantum sibi finxerit valere supra explanavimus. Videtur pristina versus forma periisse et spondiacum illud verbum male positum deberi retractatori.

In exceptionum quoque numero habemus Poen. 1420, qui ita legitur:

Nam tecum mihi una ire certumst. || Vbi primum potero, ilico

In posteriore versus parte codd. P non discrepant, Ambrosianus deficit. Igitur spondiacam in antepaenultimo pede vocem Palatini omnes testantur consentientes; quare noli dubitare de origine verborum genuina. Nam 'ilico' saepius occurrit in versuum exitu, neque 'ubi primum' alienum est a poetarum dicendi consuetudine. Ac mihi quidem reputanti, quae disseruimus de exitu 'nullo pacto potest', 'quid multis verbis opust' similibus, non absurdum videtur monere de arto verborum conexu 'ubi primum potero', quae pro certa stabilique locutione licet haberi. Adde quod 'potero' et elisione decurtatum et quasi encliticum praeeunti voci suffixum est, ut 'primúm potero' Plautum enuntiasse opinemur sub uno accentu similiter atque 'quantúm potest'. —

Exempla quae sequuntur quamquam legi obstant, tamen non vexanda erunt; huc referamus oportet quos iam antea tetigimus versus (pp. 49. 50):

Trin. 285 Turbant, miscent mores mali, rapax, avarus, invidus

Most. 171 Vt lepide omnes ⟨mo⟩res tenet sententiasque amantum

quorum priorem inter alia cantici metra Plautus inseruit. Dein haeremus in

Men. 1090 Quam hic tuist tuque huius autem; post eandem patriam ac patrem

ubi si anapaestum 'eandem' metiendum esse putas, non minus offenderis quam spondeo 'e͡andem', siquidem in hoc versus pede aspernabantur poetae syllabae correptionem (cf. Klotzium l. s. pp. 56. 57.). Ceterum 'patriam et patrem' paulo ante occurrit in v. 1083. — Itemque in hoc versu spondiaca voce male posita rhythmi tardantur:

Merc. 752 Iusserunt ferri quos inter iudex datu's

ubi spondeum vix excusabimus propter accentus enclisim, cum 'quos inter' in hac versus sede eandem praebeat offensionem atque 'virtutem' vel aliud quodvis vocabulum spondeo finitum. Neque vero melius numeris consuleremus vocabula traicientes, cum ita hiatus in versum irreperet 'ferri ínter quos —', quam mutationem Brugmannus ob hanc maxime causam reprehendit (l. s. p. 23), quia lex Rubria servaverit eandem verborum collocationem (cf. C. I. L. I, 205, I. lin. 49). Sed quod ipse coniecit non magis placet: '... iudex quos inter datu's'. Dissuadetur non Palatinorum solum, verum etiam Ambrosiani scriptura. Quae cum ita sint, nihil aliud relinquitur quam ut poetam plane neglexisse numerorum elegantiam ex verborum condicione necessitateque explicemus; observavimus enim modo Plautum ne hiatum versui inferret consulto recessisse ab usitatiore verborum ordine 'ferri inter quos'. — Contra levioris fortasse ponderis est, quod spondiacum vocabulum legitur in hoc trochaico tetrametro acatalectico:

Hec. 289 Si non rediisses, haec irae factae essent multo ampliores

quem locum a coniecturis defendunt nonnulli versus similiter

ita se habentes, ut anapaesticae voces contineantur eodem pede:

Epid. 77 .... te cupio perire mecum
Pers. 15 ... Congrediar. || Contra aggredibor
ibid. 202 .... puero peior perhibetur
Pseud. 173 ..... deliciisque aetatulam agitis

Relinquuntur pauca spondeorum exempla, de quibus separatim nobis dicendum est:

Men. 418 Si possum hospitium nancisci. iam dudum, mulier, tibi
Phorm. 985 Rape hunc. || Sic agitis? enim vero vocest opus
Merc. 10 Eadem latine Mercator Macci Titi
Aul. 336 Vbi siquid poscam usque ad ravim poscam prius

Atque in Men. v. 418 ut difficultates solveret Bothius sic transposuit: '...... mulier iam dudum tibi', quod nemo editorum recepit. Maioris autem momenti videtur, quod nusquam in interiore dipodiarum pede trochaici septenarii initio non excepto 'iám dudúm' cum hoc accentu occurrit nisi elisa extrema syllaba, — ut ex hisce exemplis perspicuum est:

Asin. 741 Iám dudum ést —
Cas. 368 Iám dudum hércle —
Mil. 1429 Iám dudum. || Éi mihi —
Stich. 344 Iám dudum égo istum —
(Men. 936 Nám dudum úxorem —)
Merc. 556 .... iám dudum ésuriens domi

Rursus in paenultimo pede appetivit poeta de indrustria hunc accentum verborum. (Amph. 692 693 Cas. 414 Mil. 580 Merc. 617 Rud. 1030 Trin. 923). Quae cum ita sint, de ictuum condicione in versu illo fortasse iustam suspicionem movemus. Quare aut Bothii coniectura erit probanda aut alia ratione numeris subveniendum.

At in Phormionis v. 985 vix depellemus spondiacam vocem ex quarto pede. Nam quod I. Draheim (Herm. vol.

XV. 1880 p. 239) scripsit pro 'enim vero' 'verum enim' cum Phorm. 555 et Ad 201 comparet, Langenus refutat hoc modo 'Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' p. 113: „'verum' ist nie Beteuerungspartikel, sondern drückt nur den Gegensatz aus, synonym mit 'sed'; umgekehrt ist 'vero' immer bei Plautus bloſse Beteuerungspartikel: 'in der Tat; wirklich; in Wahrheit'". Itaque ne Brugmanni quidem mutatio (l. s. p. 34) sensui satisfacit: '... verum enim vero voce opust', cum in hoc verborum contextu 'verum' adversativum stare nequeat. Sed ad expediendam fortasse offensionem facit, quod ab eadem formula 'enim vero' trochaicorum initium capitur septenariorum Amph. 723 Stich. 398 Hautt. 1045, quamquam poetas etiam in hoc pede accentuum congruentiam observasse constat. Unde aut suspicabimur poetas hac formula dicendi in interioribus pedibus recepta rhythmos laedi non sensisse aut cogitandum erit de aliqua librorum corruptela. —

Versum qui sequitur — si ex codicum corruptela Ritschelius recuperavit genuinam verborum formam (parerg. p. 21) — a Plauti ingenio et arte profectum esse nobis vix persuadebimus:

Merc. 10 Eadem latine Mercator Macci Titi (B 'mactici'; CDF 'mattici'). Neque placent quae viri docti protulerunt ad excusandam spondiacam vocem; quorum in numero primus Brugmannus haec opinatur (l. s. p. 50): „duo ultima verba tam arte cohaerent, ut 'mercātŏr' poetae licitum fuerit." Nec magis placet quod Klotzius de versu iudicavit (l. s. p. 327): „Der Versbau ist durch die Not entschuldigt und wegen der Eigennamen gewagt." Quamquam sane concedimus, eum cui hic versus debetur propter longorum verborum tarditatem prorsus neglexisse elegantiam facilitatemque numerorum. Illud autem quaeritur, num iure arbitrandum sit Plautum eum fuisse qui adeo non defugeret linguae necessitatem, ut etiam vitiaret numeros eiusmodi verbis. Ut enim supra exposuimus, non videtur dubium quin poetae spondiacam in tertio a fine pede vocem plerumque exceperint polysyllabo

vocabulo, quo faciliores rhythmos redderent spondeique gravitatem compensarent accentuum concordantia. Eosdem non ignoramus adhibuisse interdum vocabula plura artissime inter se coniuncta, quibus eandem vim tribuere licuit quam uni. Nomina 'Macci Titi', quamquam quodammodo ea inter se cohaerere non negabimus, sub uno accentu ita esse pronuntianda ut plane aequent unum verbum nemo unquam probabit. Itaque duplicem explicandi rationem videmus exstare: unam ut Ritscheliana coniectura probata aperte accedamus ad Dziatzkonis sententiam maxime haerentes in gravi manifestoque numerorum vitio; qui vir doctus Mercatoris prologum perscrutatus de versibus 9. 10. ad hoc iudicium pervenit (mus. Rhen. XXVI. 1871 p. 433): „Über sie läſst sich ein sicheres Urteil fällen, daſs sie nämlich an keiner Stelle unsers Prologs .... am Platze sind, ... daſs sie auf einen gelehrten Grammatiker zurückgehen und, vielleicht schon frühzeitig, zum Zweck der Belehrung für die Leser dem Prolog eingefügt wurden." Altera est, qua utentes genuinum esse statuamus hunc versum. Sed illud vix credibile videtur Plautum ipsum illa lege plane neglecta foedissimam sibi concessisse ictuum insuavitatem, quae est in altero versus dimidio.

Quid? si quod libri praebent 'mattici' recte erit traditum, quo similis iocus fiat atque Asin. 11 '. . . Maccus vortit barbare' et Cas. prol. 34 'Latine Plautus cum latranti nomine'? Quonam modo versus sit emendandus, mihi quidem compertum non est. Fortasse autem interest quid Festus proferat sub 'mattici' (p. 126 M), etiamsi certius quicquam ex illius verbis evincere non audeo: „Mattici cognominantur homines malarum magnarum atque oribus late patentibus." —

Restat Aul. 336

Vbi siquid poscam usque ad ravim poscam prius

cuius spondiacam vocem 'ravim' tertio a fine pede inclusam non solum Ambrosianus codex verum etiam Festi (p. 282, 18 M) et Nonii (p. 374 M) libri praebent. Brugmannus quidem hanc verborum transpositionem nobis comprobare studet (l. s.

p. 33): 'ubi siquid poscam, poscam usque ad ravim prius' qua in re ne consentiamus cum illo dehortatur verbum 'poscam' bis in eadem syllaba accentu percussum. Neque Klotzio astipulabimur, qui per synizesim legi voluit 'ra͡vim' (l. s. p. 566). Poetas non detrectasse iambicam vocabuli mensuram hice versus confirmat:

Cist. 304 Expurigabo hercle omnia ad raucam răvim

ubi 'ravim' finem occupans Ambrosiani, Nonii (p. 164 M = p. 241, 16 Lindsay), Festi (p. 274, 32 M) testimoniis stabilitur.

D. De spondeorum exemplis, quae incerta sint vel manifestis vitiis laborare videantur.

I. Ex Plauti fabulis hi sunt versus:

1. Rud. 1132 lacunosum ita suppleverunt viri docti, ut spondeus contineatur antepaenultimo pede:

Eum esse dixit. || Faciam ego hanc rem ⟨*ex procliva pla*⟩nam tibi

Atque quamquam ex arta ultimorum pedum copulatione spondiacum vocabulum idoneam nanciscitur excusationem, tamen cum in codicibus omnino non appareant ulla verborum vestigia, rem plane diiudicare non audeo. Confitendum enim est alia ratione huic loco posse subveniri, veluti cum scribimus quod Marxius in scholis proposuit: '— hanc rem ⟨*si operam das pla*⟩nam tibi'. —

Codicum item scripturae discrepant:

2. Rud. 1268 ... Nupturast mihi? || Suspicor

(B 'nuptura est mihi'; C 'mi nuptura est'; D 'mihi nuptura', 'est' per compendium).

Atque plane corrupti sunt

3. Trin. 427[b] Qua sponsione pronuper tu exactus es

4. Truc. 334 Quae tibi mille passum peperit more

5. Truc. 64 Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere

Cum Ritschelio scripserim 'scortorum *hic*'; neque hoc quidem a probabilitate abhorret: 'Nam lenonum et scortorum *nunc* plus est fere'. Utcunque est, non erit dubitandum quin tradita verba depravata sint, praesertim cum totius scaenae versus quasi scateant mendis. Et simillimum versum 63ᵃ eadem fere vexatum esse calamitate apparet. —

6. Capt. 24 Postquam belligerant Aetoli cum Aleis

6ᵃ Capt. 93 Ita nunc belligerant Aetoli cum Aleis

Hiatum 'cum Aleis' si non temptandum esse putas, ne in spondeo quidem offendere debes, quippe qui ex arto conexu verborum finalium iustam nanciscatur excusationem. —

7. Amph. 103 Gravidam Alcumenam uxorem fecit suam

Meliores numeros efficis ita transponendo cum Goetzio: 'Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam'. —

Emendationem postulat mea quidem sententia hic versus, de quo paulo fusius agendum erit:

8. Cist. 616 Prius hanc compressit, quam uxorem duxit domum.

Verborum copulationem 'duxit domum' quamquam hic illic in versuum exitu occurrere videmus[1]), tamen Plautum non idoneam spondei excusationem sensisse in propatulo nobis erit, si respexerimus hosce locos:

Aul. 480 Vt indotatas ducant uxores domum

ubi de industria ut spondeum defugeret 'uxores ducant domum' poetam usitatiorem verborum consecutionem mutasse consentaneum est.

[1]) Asin. 937 me uxor abducit domum
Aul. 613 filiam ducat domum
Cistell. 99 alia ducendast domum
ibid. 530 uxorem Lemniam ducet domum
Merc. 980 redduxi domum
Mil. 121 ad se deduxit domum
ibid. 686 eam ducam domum
ibid. 790 eam iam deducas domum
Pseud. 867 adducam domum
Trin. 853 abduxit domum

Aul. 162 Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum

non: 'media uxorem ducit domum'

Men. 635 .... redeo nunc demum domum

non: 'nunc demum redeo domum'. Quanam porro medela usi in Cistellariae versu 616 metro succurramus non prorsus liquet. Neque enim Brugmannus nos habebit assentientes, qui ita scribi voluit (l. s. p. 50): 'priús compressit quam uxorem hanc duxit domum', quam mutationem improbabimus, cum 'prĭŭs' totum pedem explere nusquam observemus nisi in versuum exitu vel in diaeresi iambicorum septenariorum asynartetorum[1]); unus tantummodo contrarius locus invenitur

Poen. 67 Sexennio priús quidem quam moritur pater

qui versus iure ineptus videtur Leoni ideoque interpolatori tribuendus (Leo ad v. 66). Brugmanni igitur transpositio stare nequit nisi voculam inserimus, qua reponatur 'prius' pyrrhichiacum. Neque alienum fortasse est pronomen 'hic' (= hier) supplere ex Cistellariae versibus 177 178:

Huc commigravit. duxit uxorem hic sibi
Eandem quam olim virginem hic compresserat

Itaque scripseris Cistell. 616:

Prius hanc compressit, quam uxorem *hic* duxit domum. — Deinde ex numeris pessime modulatis iustam opinor suspicionem concipimus de hoc versu:

9. Stich. 616 Tua pol refert. || Enim siquidem mea refert, opera utere (P)

In A leguntur haec (quae incertae sunt cursivis litteris significavi):

*t*uapol*re*fert || *en*imverosiqu*i*demmearef*er* .... *tere*

Palatinorum lectionem in textum receperunt Leo, Goetz-Schoell. Sed duplici de causa rhythmis offendimur: displicet enim valde et 'meá refért' in antepaenultimo pede et 'siquídem' in media

---

[1]) Inspicias velim omnes locos, quos enotavit Naudet in ed. Pl. fab. IV. vol. pp. 447. 448. sub voce 'prius'.

quod percutitur. Eandem quidem ictuum condicionem in 'mea refert' poeta observavit

Curc. 530 ... quid id meá | refért (iamb. oct.)

Merc. 454 Quid id meá refért (initio troch. sept.)

tamen a quarto senarii pede semper exclusit. Alterius verbi utramque formam 'sĭquĭdēm' et 'sīquĭdēm' poetam sibi concessisse sciendum est[1]). Itaque reiciamus oportet 'siquídem', quippe quo aut falsus dactylus nascatur in primo solum pede admissus aut tribrachys plane illegitimus (cf. Luchsium 'comment. pros.' I. Erlangae 1883. p. 15). Neque metro sufficit 'si quídem'; claudicat enim versus incisione carens legitima. Fortasse placebit, quod coniecit Ritschelius:

Tua pol enim refert. || Siquidem mea refert, *mea* opera utere

Extrema verba 'opera utere' noli corrigere, quae confirmantur his similibus locis:

Aul. 143 Da mihi operam, amabo. || Tuast: utere atque impera, ...

Pers. 328 Sed sequere me: ad eam rem usus est tua mihi opera. || Vtere ut vis

Reliquorum autem verborum non omnia plana ac recta esse conspicuum fit cum ex Palatinorum Ambrosianique discrepantiis tum ex corruptelis, quibus depravatus est qui sequitur versus. Itaque hoc loco spondiacam vocem 'refert' tertium a fine pedem amplexam non ferendam esse probabiliter me exposuisse puto. Quanam autem medela usi primariam versus formam assequamur, equidem diiudicare non audeo. —

Deinde iure offendimur spondeo in hoc versu:

10. Mil. 502 Nisi mihi supplicium virgarum de te datur

(BCDFZ 'virgarum', nisi quod 'arum' e corr. in ras. B², 'm' per compendium). Iam Guietus correxit 'virgeum', quod Leo in textum recepit, etsi adiectivum nusquam reperitur apud Plautum. Ac ne ego quidem poetam contra metri praecepta

[1]) Buecheler: Arch. f. lat. Lexicogr. u. Gramm. III. p. 145 sq.

'virgarúm' in quarto pede sibi indulsisse arbitror respiciens potissimum Asinariae v. 298, ubi plane legitimam spondei excusationem hunc in modum effecit: '... O virgarum lascivia!' Neque levioris momenti videtur, quod Plautum a simili forma abhorruisse apparet in eadem verborum consociatione quam observamus in

Mil. 511 Nisi mihi supplicium stimuleum de *te* datur

cui exemplo eo maiorem demonstrandi vim tribuimus, quia nusquam nisi hic legitur 'stimuleus' neque in Plauti fabulis neque apud alium scriptorem; unde necessario sequitur, ut spondei causa evitandi poeta inusitatiorem verbi formam adhibuerit. Quae cum ita sint, mihi quidem dubium non videtur quin in Militis v. 502 solum ob spondiacum vocis exitum defugerit substantivum 'virgarum' eiusque in locum 'virgeum' substituerit; quod adiectivum legitur Cat. 'de agri cult.' cap. 152 (p. 96 Keil). Similia adiectiva Plautus adhibet veluti 'ulmeus' Asin. 363 Rud. 636. —

Finem faciamus in hoc iambico septenario, cuius spondiacum vocabulum quamquam facile toleramus propter accentus enclisim, tamen corrigi voluit Ritschelius propter stabilem verborum collocationem quam in eiusmodi exsecrandi formulis observare licet:

11. Most. 192 Die deaeque omnes me pessumis

sic CDB[2]; B[1] om. 'me'; Ritschelius 'Di deaeque me omnes pessumis'. — Convertamus nos ad

II. spondeorum exempla ex Terentii fabulis sumpta.

Ac primum quidem stare nequit librorum scriptura

12. Andr. 221 .... fuit olim quidam senex

Fleckeisenus et Dziatzko Bentleium secuti recte scripserunt: '... olim *hinc* quidam senex'.

13. Neque satis constat lectio in Hecyrae v. 487, ubi Donatus legit: '... saepe meritam quod vellem scio'; libri autem tradunt: '.. quod vellem meritam scio'. Et cum in versu qui

proxime succedit in spondeum incidamus legitime conformatum ('vehementer desidero'), Terentium hic neglexisse legem vix credibile est. Quare in textum recipiamus Donati scripturam.

14. Hautt. 810 ita scribi Dziatzko voluit:

Vt te quidem di deaeque omnes quantumst, Syre

Librorum has habemus differentias: A (DG) 'omnes' ante 'di'; BCF^1P 'omnes' ante 'quidem'. Quas discrepantias perpendenti temerarium mihi videtur 'omnes' in quartum pedem reicere, praesertim cum ita versus caesura careat atque singula vocabula singulis pedibus comprehendantur. Idcirco suavius est quod Bentleius et Umpfenbachius scripserunt:

Vt te quidem omnes di, deae, quantumst, Syre

(conf. Bentleium ad Eun. II. 3. 11).

15. Denique pristinam formam Bentleius recuperavit Hec. 452.

III. Ex reliquorum poetarum fragmentis

pauca adsunt incerta spondeorum exempla, quae haud gravem offensionem praebeant:

16. Accius Fr. P. R. p. 270, 24 (Baehrens) in codicibus corruptus:

Imbecilla non quod ponderitatem gravitatemque hominis
('Imbecilla ob ... nominis' Madvigius op. I. 110)

17. Caecilius 219 corruptus traditur libris:

Familiae fame pereant ager autém stet sentibus
('perbitant' Ribbeckius).

18. Ennius p. 132, 90 Vahl. = Trag. R. fr. 79

Fana flamma deflagrata, tosti alii stant parietes

('alti' Vahl.). — In utroque loco monosyllabas eiusdem verbi formas spondeum excipere primo obtutu conspicuum est. Itaque suspicetur aliquis propter accentus enclisim plane evanescere offensionem. Quae res ut evidentior sit, versum qui apud Ennium proxime antecedit respicias velim:

Cui nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent

ubi monosyllabum 'stant' in caesura positum ad vocem praeeuntem quasi alligari manifestum est. Utrumque igitur tolerabimus exemplum. —

Restat ut eos proferamus versus, qui manifeste corrupti nihil valeant ad nostram legem infirmandam:

19. Caecilius 57 nimium corruptus a Ribbeckio sic exhibetur:

Vtinam pisciculi te schema, sine cruribus

('tescioli schemată' codd.) Difficultates removit iam Brugmannus l. s. p. 34, qui 'schema' generis feminini non spondei sed iambi mensuram aequans ostendit.

20. Lucilius 504 Baehrens (Non. p. 499,18 M)

.... sibi misereantur sei ipsi, vide,
Causa illorum *ut* superiore conlocavit se loco

Libri autem haec servaverunt verba: 'si miserantur se ipsi vide ne illorum causa superiore loco conlocavit', — quae ut in illos numeros distribuantur haud quaquam flagitant; neque enim quicquam obstat, quin trochaici septenarii initium leni mutatione sic statuamus (similiter atque Lachmann 619):

Si miserantur se ipsi vide ne illorum causa *se* loco
Superiore conlocarit —

21. Accius 127 *Deae* Minervae donum armipotenti abeuntes Danai dicant

Servii codd. (in Aen. II. 17) inverso ordine praebent verba: 'Danai abeuntes dicant'.

22. Lucilius 626 Baehrens[1]).

Hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit

ita apud Nonium (p. 472,4 M); Festus autem haec tantummodo frustula asservavit (p. 210,19 M): 'Ubi me vidit, caput scabit, pedes legit'. Atque ut mea quidem fert opinio, versus hunc in modum exiit: '..... căpŭt scăbīt'. Apud Festum igitur memoriam fortasse habemus genuini verborum ordinis; ideoque proposuerim ut sic distribuatur:

Subblanditur hic palpatur, ubi me vidit căpŭt scabit
Pedes legit —

23. Accius 302 (apud Non. p. 200, 17)

---

[1]) cf. Skutschium mus. Rhen. 48. p. 307:
Hic me ubi vidit, suppalpatur, caput scabit, pedes legit

Sed quid cesso ire ad eam? em praesto est *em* camo collum gravem

'collum gravem' versum exiisse certum videtur; et cum 'sed' particula suppleta omnia usque ad 'camo' trochaici septenarii speciem induant, placebit fortasse, quod Ribbeckius olim coniecit:

Sed quid cesso ire ad eam? em praesto est: cámo *vide* collum gravem

24. De Varrionis loco Sat. Men. 558 B '..... illud vero quodam meae' satis habeo ad ea relegare lectorem, qùae Brugmannus disputat (l. s. p. 31).

Relinquuntur nonnulli loci ex Carm. Lat. Ep. (B) deprompti, quibus regulam gravissime violari mecum consenties:

Carm. 83,2 iuenis tetendi ut haberem quod uterer
ibid. 112,1 Seiius Fundanus nutrivit natos duos
ibid. 190,1 Adeste amici, fruamur tempus bonum
ibid. v. 4 eadem fecerunt hi cuncti cum viverent
ibid. v. 5 dederunt acceperunt, dum essent, fruniti sunt
ibid. 100,1 Domino dilectus, quoquo iret, semper comes

Sed qui hos titulos composuerunt artis metricae plane inscios fuisse statim intelleges si animo perlustraveris, quot licentias ne dicam vitia illi sibi permiserint. Exemplis autem rem illustrare supersedeamus, quod plurimos eorum errores detegere cuivis haud difficile est.

Iam nunc cum ad finem pervenimus, memoria repetere iuvat quae universe observavimus de spondiacis verbis in tertium a fine pedem admissis. Numeramus enim

I. spondiacorum vocabulorum, quae excipiantur una voce ultimos duos locos amplexa: 166 exempla (cf. pp. 6—23).[1])

II. quibus complura verba succedant: 105 exempla (cf. pp. 26—30).

---

[1]) omissis 9 locis qui pronominum 'ille, iste' formas in hoc pede exhibent cf. p. 12. sq.

Ab his autem deducenda erunt

1. quae offensione prorsus carent:

Aul. 336 răvim (p. 66 sq.)
Pers. 408 inlex (verb. compos. p. 43)
Hec. 289 essent (in troch. tetram acatal. p. 63)
summa 3 exempla

2. quae incerta et plane corrupta videntur numeramus 24 exempla (pp. 67—74).

3. quae aliquam movent suspicionem:

Capt. 527 intro venit modo (p. 56 sq.)
Men. 420 iam dudum, mulier, tibi (p. 64)
ibid. 930 argentum quoi debeo (pp. 52. 54. sq.)
Merc. 10 Mercator Macci Titi (p. 65 sq.)
Poen. 286 ..... nisi sumptus sequitur, scio } (p. 61 sq.)
ibid. 287 ... si eum sumptus superat, soror }
ibid. 480 .... periuras. Quid postea? (p. 40 sq.)
Rud. 1423 Fiat. Plausum date (pp. 40. 42.)
summa 8 exempla.

4. quae propter accentus inclinationem satis excusari inter viros doctos iam dudum constat, sicut 'inter nos' similia, 'multo post', 'multo minus', similia (p. 51)
summa 17 exempla.

Restant igitur 53 exempla. Itaque spondeorum legitime et extra regulam conformatorum hanc rationem efficimus:

$$166 : 53 = 3 : 1$$

Atque ex his 53 unam partem eamque maiorem explicavimus ex arta ultimorum verborum copulatione, alteram ex accentus enclisi; perpauci autem relinquuntur loci, de quorum interpretatione ambigi licet.

II. DE PRONOMINIBUS ILLE ISTE IN ANTEPAENULTIMUM PEDEM RECEPTIS.

Omnia spondiaca verba in tertio a fine pede collocata quoniam absolvimus eorumque de condicionibus certum fecimus iudicium, iam quaerendum est quanam ratione usi 'ille iste' pronomina poetae admiserint in illam versus sedem. Atque in hac re explananda illud potissimum perscrutari opus est, easdem leges in his quoque verbis valere utrum poetae voluerint necne. Quorum de prosodia dissensio est inter viros doctos. Ac primum quidem Skutschius in libro supra commemorato pp. 97—147 ut expediret difficultates illa pronomina interdum pro monosyllabis habenda esse evincere studuit, ita ut 'ill, illd, illc, istc' pronuntietur altera vocali suppressa. Reliquas autem formas (veluti 'illum') duplici ratione Plautum accommodasse rhythmis: ubi enim propter metrum ictuum consociatio postularetur, poetam in ultima acuisse 'illúm' proclisi adhibita; quare mirandum aut offendendum non esse, creberrime ea inveniri in interioribus dipodiarum pedibus.

Hanc Skutschii sententiam Birtius[1]) vehementer impugnans illorum priorem syllabam re vera nonnumquam correptam esse monuit, id quod iam ante eum alii affirmaverunt (Ritschelius in proll. p. CCLX). Neque aliter sensit Leo de illorum prosodia (cf. Plaut. Forsch. pp. 291. 292). Iam vero nos videamus in hac disceptanda quaestione si quid lucremur ex iis, quae de spondiacarum vocum usu in universum cognovimus.

---

[1]) mus. Rhen. vol. 51 pp. 240—272; Skutschius contra Birtium ibid. p. 478 sqq.

Ac primum quidem omnes congeramus oportet locos, qui illa pronomina antepaenultimo pede inclusa exhibeant

1. apud Plautum:

1. Amph. 134 .... illa illum censet virum
2. Bacch. 301 .... illis praesentibus
3. ibid. 496 .... si cum illo relinqueres
4. ibid. 599 .... illi periculo
5. ibid. 1018 .... dudum illi dixi omnia
6. Capt. 600 .... me, ut illi mastigiae
7. Merc. 48 .... rem, illius augerier
8. ibid. 428 .... ita ut illast, emerem sibi
9. Mil. 606 .... facere illi faciunt tibi
10. Poen. 381 .... nisi ego illi mastigiae
11. Rud. 966 .... quanti illud refert mea
12. ibid. 1278 .. Quid, eampse illam? || Non censeo
13. Trin. 957 ..... et ego illum nosse*m* *ad*probe
14. ibid. 163 .... illius sapientiam
15. Truc. 156 Postremo illi sunt improbi

2. apud Terentium:

16. Hautt. 153 ...... nec tu illum satis noveras
17. Phorm. 648 .... mittam illius ineptias
18. ibid. 923 .... porro illis quibus debui

3. apud reliquos poetas:

19. Lucil. 654 (Baehrens) ... veteratorem illum, vetulum lupum

Accedunt eorum exempla, quibus adhaeret 'c' encliticum

1. apud Plautum:

20. Bacch. 806 .... Egone istuc dixi? || Ita
21. Capt. 314 .... illum illic curaverit
22. Curc. 598 .... apage istanc caniculam
23. Epid. 276 ..... ad rem istuc refert? || Rogas
24. Merc. 624 ...... omitte: istuc quod nunc agis
25. ibid. 627 .... qui ego istuc credam tibi
26. ibid. 761 .... Egone istuc dixi tibi
27. Mil. 827 .... Non te istuc rogito, scelus
28. Poen. 1319 .... ite istinc, servi, foras

29. Stich. 131 .... illisce apsentibus
30. Truc. 842 .... istam rem intellego
31. Cistell. 49 Semperque istam quam nunc habes
32. Stich. 675 Quid ego hinc quae illic habito exeam

2. apud Terentium:

33. Phorm. 639 ...... Quis te istaec iussit loqui
34. ibid. 744 .... verum istoc me nomine
35. Hec. 114 .... || istic sum. || Hanc Bacchidem
36. Ad. 508 .... nimia illaec licentia

Inter hos igitur 36 versus conspicimus 9 similiter ita compositos ut finiantur longo vocabulo ultimos duos pedes comprehendente (cf. pp. 12. 13). Quod non tarditate verborum effectum esse, ut Klotzius universe explicavit hunc usum, in propatulo est, — de qua re Skutschius recte iudicavit l. s. p. 126. Itaque poetam terminantes duos pedes nulla de alia causa copulasse opinamur, nisi qua omnes fere spondiacas voces eundem locum occupantes excepit uno vocabulo versum concludente: ut spondei videlicet gravitatem aliquomodo sublevaret. Contra hos autem locos stant illi, in quibus ultimorum pedum copulatio non sit conspicua, iique aliquanto plures offeruntur. Neque multum hanc numerorum rationem mutamus, cum quae incerte tradita sunt ab illis secernimus. Omittere igitur licet

Bacch. 806 .... Egone istuc dixi? || Ita (propter hiatum.)
Truc. 842 .... istam rem intellego (plane depravatum. cf. Leonem ad h. v.)

Hic quidem neglegimus hos quoque versus, qui 'illius' in illo pede ostendunt: Merc. 48 Trin. 163 Phorm. 648, de quibus paulo infra disputandum erit. Iam hanc numerorum habemus rationem: inter 31 versus inveniuntur

$$\left.\begin{matrix}9\\22\end{matrix}\right\}\text{ quorum ultimi duo pedes }\left\{\begin{matrix}\text{una voce expleantur.}\\\text{compluribus contineantur verbis.}\end{matrix}\right.$$

i. e. $9:22 = 1:2$

Quas pronominum condiciones multo magis mirabimur, si me-

minerimus quid de universis spondeorum exemplis statuendum fuerit: illic enim contra 166 legitimos spondeos enumerantur 53 illegitimi, ut haec fere arithmetica proportio evadat: 166:53 = 3:1 (cf. p. 75). Itaque non illud admirationem nostram commovet, quod omnino illa pronomina in tertium a fine pedem admodum saepe poetae receperunt, quippe quos certa norma observata spondiacas voces in hac versus sede haudquaquam defugisse intellexerimus; immo vero id mirandum est, in pronominibus adeo non constanter eos secutos esse illam legem quam de spondeo admittendo sibi sanxerunt, ut versus legitime conformati etiam paucitate insignes sint.

Sed rogarit fortasse quispiam: cum reliquarum vocum spondiacarum haud exigua pars ita se habeat, ut spondeus excipiatur si non uno verbo attamen verborum copulatione unum aequante vocabulum, nonne licet in his pronominibus statuere similes condiciones? Videamus igitur quanam ex alia re his excusationem paremus.

1. Ex arto verborum conexu ultimos duos locos occupantium:

Rud. 1278 .... Quid, eampse illam? || Non censeo
Merc. 428 .... ita ut illast, emerem sibi
Mil. 606 .... facere illi faciunt tibi
Rud. 966 .... quanti illud refert mea
Merc. 761 .... Egone istuc dixi tibi
ibid. 627 .... qui ego istuc credam tibi
ac fortasse Hec. 114 .... Istic sum. || Hanc Bacchidem

2. Ex accentus inclinatione:

Truc. 156 Postremo illi sunt improbi
Phorm. 744 .... vero istoc me nomine

Quibus nescio an recte adiunxeris:

Phorm. 923 .... porro illis quibus debui
Cistell. 49 Semperque istam quam nunc habes
Merc. 624 ..... omitte: istuc quod nunc agis

Numerantur ad summam 12 exempla.

3. In his autem quae sequuntur excusandi rationem non detegimus:

Amph. 134 .... illa illum censet virum
Bacch. 1018 .... dudum illi dixi omnia
Trin. 957 ..... et ego illum nossem adprobe
Hautt. 153 ..... nec tu illum satis noveras
Epid. 276 .... istuc refert? || Rogas
Mil. 827 .... Non te istuc rogito, scelus
Poen. 1319 .... ite istinc, servi, foras
Stich. 675 Quid ego hinc quae illic habito exeam
Phorm. 639 ..... Quis te istaec iussit loqui
Lucil. 654 (Baehrens) ... illum, vetulum lupum

Itaque prae 9 legitimis exemplis reperiuntur
12 quae excusari possunt
10 contra omnem regulam conformata.

Hanc numerorum condicionem equidem puto gravissimi esse ponderis in tota quaestione diiudicanda. Quae cum computamus, ne id quidem nobis probatur quod Skutschius sibi excogitavit de illis pronominibus (cf. quae supra diximus p. 76). Immo Birtio astipulabimur, qui illius sententiam ita censuit (l. s. p. 265): „Eine solche Hypothese ist nicht zu widerlegen, weil sie nicht zu beweisen ist; denn eine ratio, warum man jetzt 'illum' und jetzt 'illúm' gesprochen hätte, ist nicht zu finden". — An reapse credendum est, Plautum eorundem verborum vocales saepissime eiecisse — ut ille sibi finxit — quae totiens non solum metrico ictu verum etiam grammatico accentu percutiantur? Rem exemplo declarabo Rud. 966 'quanti illud refert mea'. Si Skutschium sequimur, pronuntiasse poetam 'illúd' confidere debemus ob accentus proclisim, — aliis autem locis suppressam esse eandem vocalem, quae hic grammaticum ictum habeat, Skutschius nobis persuadere studet (l. s. p. 117). Etiam in Rudentis versu 1278 'Quid, eampse illam? || Non censeo' ultimam syllabam ambos recepisse accentus consociatos ducit, — propter eandem accentus proclisim. (cf. l. s.

p. 135 adn. 3.). Quam opinionem luculentissime confirmari formis 'c' terminatis, quas item atque 'audin, monstratust, missust' in ultima acutas ideoque sine ullo scrupulo a poetis admissas esse in interiores dipodiarum pedes per se intellegi arbitratur. Sed de eiusmodi voculis elisis spondiaco verbo suffixis conferas velim quae supra disputavimus (pp. 22. 23). Talia enim verba eadem ratione poetae rhythmis accommodaverunt atque unumquodque aliud spondiacum vocabulum in tertio a fine pede versuum: quae omnia similia se praebent ut continuentur una voce versum terminante. Quod non casu factum esse concedes, si omnes hos locos inter se comparaveris: praesto enim sunt 16 versus (pp. 22. 23), in quibus est Curc. 275 'qui missust in Cariam' (p. 35); contra neglegimus ea exempla, quae 'ne, que' elisione decurtata exhibeant, in quibus aliam accentuum condicionem valere atque in 'odiosást' similibus supra exposui p. 54. Quibus optime mea quidem sententia ostenditur poetas — imprimis Plautum — elisi monosyllabi 'es, est' enclisim adeo non putasse iustam plenamque spondei excusationem, ut illius quoque spondei insuavitatem accentuum in ultimis pedibus congruentia leniri voluerint. Sed quaestio exoritur, curnam eius generis enclitica poetis idonea non sint visa, quibus spondiacae vocis infringatur offensio.

Ac primum quidem monendum est rem plane aliter se habere in iis spondeorum exemplis, quorum duritatem accentus inclinatione compensatam esse antea cognovimus (cf. pp. 52. 53): hic enim vocabulum quasi augetur una syllaba, quo fit ut accentus ex interiore thesi removeatur ideoque omnis tollatur molestia; nam copulationes quales 'exoptabám me' (Mil. 1135), 'inventurúm te' (Bacch. 856) eundum ictum grammaticum recipiunt quem 'exoptabámus'. Contra quibus adhaerent illa elisa monosyllaba, si in iis accentum moveris, non ex linguae praeceptis 'monstratúst, praefectúst' in ultima acutum pronuntiabis. Paenultimae igitur accentum in eiusmodi locis poetas tantopere subaudisse verisimillimum est, ut metricam offensionem in antepaenultimo pede mansuram fuisse existi-

marent nisi legitimam effecissent spondei excusationem: qua de causa ubique ultimos duos pedes continuerunt una voce.

Iam vero reicimur ad pronomina 'illic, istic'. Quorum 'c' encliticum quoniam Skutschius ipse l. s. p. 128 comparari vult cum elisa vocula in 'monstratust', nihil aliud restat quam ut de accentuum condicionibus, quae in utroque verborum genere valeant, idem feramus iudicium. Ad hunc igitur finem pervenimus: pronominum 'illic, istic' similium offensio non magis lenitur elisa particula 'ce' suffixa, quam verba veluti 'praefectust' ex elisorum inclinatione monosyllaborum excusationem habent.

Quod si probatur, necessario quidem poetas de illorum asperitate mollienda eodem modo curasse concludendum est. Sed si locorum indicem supra effectum examinaveris, ex parte tantummodo observatam esse ultimorum pedum copulationem intelleges. Unde consequitur, ut eius generis pronomina in illa sede collocata propriam suam postulent explicationem. Idem videlicet cadit in formas, quae 'c' enclitico non terminentur. Nam si 'illic, illuc' in tertio a fine pede constituta rhythmorum concentui non sufficiunt, ne ea quidem quae in hanc particulam non desinant in ultima acuta ideoque in illa versus sede tolerata esse tibi persuadebis. Neque enim, ut exemplum afferam, in Rud. v. 1278 'Quid, eampse illam? || Non censeo' cogitari licet 'illam' proclisim passum oxytonum pronuntiandum esse, tametsi Skutschius ad syllabarum elisionem nos revocat, quam etiam in pausa sibi concesserint poetae (l. s. p. 135); qui multo melius sententiam suam nobis comprobasset similibus allatis vocibus, quas neglecta pausa personarumque vice quin procliticas intellegi poetae voluerint dubium non videatur. Dein si re vera illa pronomina in ultima acuerunt eamque ob causam admiserunt in tertio a fine pede, curnam hic illic spondeo excusando sane consuluerunt iisdem remediis usi, quibus omnis spondiaci vocabuli offensionem infringere soleant? Qua de causa scripsit Plautus Bacch. 599 'dicam illi periculo', idemque quam ob rem voluit

sub uno accentu efferri Truc. 156 'Postremo illí sunt improbi', vel Terentius Phorm. 744 'verum istóc me nomine'? Ob eam opinor causam, quod spondeorum gravitatem in hoc pede aegre ferendam esse putabant nisi metricam duritiam quodammodo imminuissent.

Iam igitur cum res ita se habeant, in his quoque pronominum formis iure exspectaveris easdem diligenter observatas esse condiciones, ad quas omnino spondiacorum verborum usum revocaverint. Circumspicientes autem quinam loci regulam teneant, numerum haud ita magnum animadvertimus. Itaque ut universum faciamus iudicium, qua ratione poetae spondiacas 'ille, iste' pronominum formas in tertió a fine pede cum rhythmis consociarint, hoc nobis est fatendum:

a. Plautus et Terentius nequaquam abhorruerunt ab illis in hunc pedem recipiendis.

b. Neque angustis quidem finibus eorum usum coercuerunt, id quod hac potissimum numerorum comparatione illustratur:

spondiacorum verborum	legitima exempla ad illegitima	166 : 54 = 3 : 1
pronominum		9 : 22 = 1 : 2

c. Quam ad rem explicandam cum nihil valeat, quod grammaticum ictum ex interiore thesi amoveri ob accentus enclisim procliticamque pronominum naturam Skutschius sibi finxit, nihil aliud relinquitur quam ut hunc in modum poetarum consuetudinem interpretemur: Plautus et Terentius in illorum prosodia constantiam ullam adeo non sunt secuti, ut admodum haesitaverint inter spondiacam et iambicam pronominum mensuram. Quae sententia Birtii disputatione comprobari videtur, qui plane aliam viam ingressus perducitur ad eundem eventum (l. s. pp. 240—272). Deinde nonnihil interest, ab omnibus libris (Palatinis) 'illum' exhiberi in diaeresi huiusce iambici septenarii:

Mil. 1231 Spero ita futurum. quamquam illum multae sibi expetessunt

Skutschius nimirum in hoc ipso loco codicum fidem addubitavit: corruptum enim ex 'eum' esse 'illum' contendit (l. s.

p. 139). Eiusmodi autem coniecturis nihil fere proficitur. Namque talia pronomina omnino rara in exitu longioris enuntiati collocari per se elucet; et cum creberrime una cum enuntiatione totum versum poetae terminaverint, facile explicatur curnam 'ille, istic' similia nusquam reiecerint ad finem. Atque illud fortasse mentione dignum videtur, quod Birtius monuit (l. s. p. 266): „Natürlich kann nur im engen Gefüge der Wörter, im Satzanfang und Satzinneren, 'illos' in seinem Eigenton verkürzt werden." In Militis autem versu 1231 incisione nequaquam finitur enuntiatum; quin saepius accidit, ut eadem caesura etiam inter verba elisione artissime conexa intercedat (cf. Mil. 1246 '. . . . scio | obtigisse'). Itaque 'ĭllūm' in diaeresi usurpatum non tantam habet offensionem, quantam in extremo versus enuntiatique loco. Denique eiusmodi pronomina poetas nusquam constituisse in versuum exitu, semel tantum in diaeresi iambici septenarii propterea non mirabimur quod summa religione ultimi pedis thesim puram eos servasse ideoque syllabam exclusisse constat, cuius quantitatem reliquerunt dubiam. Quibus perpensis in Militis versu non credo libris esse diffidendum. Immo quod ex hoc loco discimus de prioris syllabae mensura 'illum', optime ad ea convenit quae de prosodia talium pronominum consecuti sumus ex spondiacarum vocum condicionibus tertium a fine pedem amplexarum.

Illius.

Quoniam absolvi quaestionem, quae est de explanandis difficultatibus quas illa pronomina tertio a fine pede inclusa praebent, de 'illius' genitivo pauca addere liceat. Cuius formae metiendae ac pronuntiandae triplicem apparere rationem Birtius censuit (l. s. p. 265[1]): īllíŭ́s, ĭllĭŭ́s, īllĭŭ́s. Ac primum quidem recordatus quid exposuerimus de pronominum prosodia, tribrachyco 'ĭllĭŭ́s' fortasse non offenderis. Sed dubitari potest de corripienda media vocali 'illĭus', cum et 'īllĭŭ́s' anapaesti mensuram aequans nusquam nisi primo senarii loco admittatur, et 'ĭllĭŭ́s' tribrachycum cum hoc accentu poetas

prorsus respuisse sciendum sit[1]). Qua de causa Luchsius (Studem. studd. in prisc. scr. lat. 1890 I, 2 p. 319 sqq.) quia argumentis, quibus 'illĭus' commendari videatur, ne minimam quidem demonstrandi vim inesse putat, 'illius' contractione bisyllabum effectum voluit agnosci. Nos quidem tantum abest ut totam quaestionem uberius retractemus, ut de iis tantummodo versibus disseramus, qui 'illius' exhibeant in tertio a fine pede iambicorum trochaicorumque versuum. Atque illud praecipue est reprehendendum duos versus iniuria usurpasse viros doctos ad comprobandam correptionem 'illĭus'. Quorum priorem codices (Palatini) ita tradunt:

Trin. 163 Quid tibi ego dicam, qui illius sapientiam

ubi in iambum deficere 'illĭūs' Ritschelius verisimillimum esse duxit (op. II. p. 686). Equidem vero hoc loco censeo nihil aliud ostendi nisi summam observatam esse legem, qua Plautus in spondiacis vocibus vel spondeo finitis in illo pede admittendis se coercebat ('illīŭs sapientia'). Nec forte hoc mihi videtur esse factum; sed cum ultimos pedes uno verbo comprehenderet, poetam id spectasse credibile est ut duritatem aliquam quarto senarii pedi illatam leniret rhythmorum volubilitate accentuumque concordantia, quam longo vocabulo in fine posito effecit.

At Luchsius l. s. p. 359 quippe qui de 'illĭŭs' et 'illīŭs' aequam moveat suspicionem, non omnia recte esse tradita suspicatus hic quoque bisyllabum 'illius' praeferendum esse sibi persuasit, praesertim cum Beckerus in 'qui' pro 'quomodo' posito propterea haeserit quia haec structura in interrogatione obliqua flagitet verbi coniunctivum (Studem. studd. I. 1, p. 245). Hoc autem loco ob metrum forsitan excuses indicativum 'dedit':

Trin. 163 .... qui illius sapientiam

[1]) cf. quae Ritschelius iudicavit (op. II. p. 683): „Nichts kann gewisser sein, als daſs weder eine dactylische noch eine tribrach. Wortform den Versaccent auf der Mittelsilbe haben kann, mit einziger Ausnahme des 1. Versfuſses".

164. Et meam fidelitatem et celata omnia
165. Paene ille ignavos funditus pessum dedit?

Namque Plautus hanc locutionem in versuum fine adamavit, veluti Pers. 740

Salve, mea gnata || Ei, Persa me pessum dedit

similiter Rud. 617

Ferte opem inopiae atque exemplum pessumum pessum date.

Accedit quod 'paene, paenissume' scaenicos poetas semper fere cum perfecti indicativo coniunxisse observamus. Itaque temptandam esse codicum scripturam nulla ratione comprobatum videtur. Proinde teneamus 'illīū́s sapientiam' neve sollicitemus spondiacum vocabuli exitum plane legitime conformatum. —

Item fortasse iudicandum erit de Aul. 35, quem P sic exhibent:

Is adulescentis illius est avonculus

W. Wagnerus proposuerat 'illiust', ut Ritschelius tradit (op. II, p. 686), qui de hac lectione ita sensit: „wer sie mit W. Wagner annimmt, wird dennoch 'illĭust', nicht 'illīust' zu messen haben". Quod ex verborum collocatione eum perverse collegisse in aperto est. Sed referre satis habeo ad similes locos, ubi spondiaca verba eadem condicione in illam versus sedem admissa conspicimus, sicuti Amph. 100 'praefectust legionibus' (cf. pp. 22. 23). Qua de causa vix dubitabimus quin Wagnerus binas voces recte confuderit in unam 'illīū́st'. Contra minus probabilem coniecturam Leo attulit, qui ut sic transponantur verba suadet: 'Is adulescentis est illīus avonculus'. —
Denique ne in Turpilii quidem iambico octonario 99 R

Numquam unīūs me comparavi servire elegantiam

postulatur iambica mensura 'unĭūs', cum spondei offensionem accentus enclisi leniri arbitremur: pronuntiabimus enim 'uniús me' sub uno accentu item atque in Rud. 1075 'nostér nos', Mil. 1135 'exoptabám me', Bacch. 856 'inventurúm te' (cf. p. 52. sq.).

His igitur expositis de 'illius' in iambum desinente nihil certius evinci ex spondeorum condicionibus me demonstrasse

puto; atque etiam reliquorum fides argumentorum infirmatur, quibus commendari existimaveris correptionem (cf. quae Luchsius disputavit l. s. pp. 354—362). Itaque neque 'ī̆llĭŭs' neque 'ĭllĭŭs' placebit. Iam quaeritur, quanam ratione pronuntianda sit haec forma, siquidem 'illīus' non ubique metro sufficit. Qua in re disceptanda gravioris ponderis esse mihi videntur hi duo versus simillime conformati:

Merc. 48 Lacerari valide suam rem, illius augerier

Phorm. 648 Vt ad pauca redeam ac mittam illius ineptias

Quae verba optime codicibus tradita minime licet mutilare coniecturis. Ac primum quidem Birtius (l. s. p. 265[1]) non laeditur falso dactylo 'īllĭŭs'. Immo enim hanc pronuntiationem fulciri opinatur hisce locis:

Pseud. 147 Neque Alexandrina beluata tonsĭlĭă tappetia

Stich. 378 Tum Babylonica et peristroma tonsĭlĭă tappetia

ubi A et P 'tonsilia (vel 'silla') et tappetia'. De differentiis vide editores, qui in altero v. scripserunt 'tonsilia et tappetia'. Quos versus cum illis aliquam habere comparationem equidem negaverim, cum de traditis verbis non satis constet. Si vero nihilominus vexandum non esse 'tonsilía' confidis, talem pronuntiationem puta procreatam esse ex numerorum vocabulorumque necessitate. Utcunque res est, cum 'illius' in iambum desinente non tolli sed augeri difficultates in universum intellexerimus, illis quoque locis Plautum a correptione mediae vocalis abhorruisse haud scio an recte suspicemur. Cum alia legendi via non pateat, Luchsius optimo iure cogitavit de bisyllabo metiendo 'illi͡us' simili synizesi adhibita atque in 'e͡ius, quo͡ius, hu͡ius' (cf. Luchsium l. s. p. 367). Quae ratio his locis maxime eo comprobatur, quod tertio a fine pede haec forma includitur: ita enim 'illi͡us' vocabulum contractum plane aequatur spondiacae voci, cuius in hoc versus loco offensio ob ictuum consociationem dilabitur, quam vocabulum efficit ultimos duos pedes amplexum: 'īllīūs augerier' 'īllīūs ineptias'. Nec redarguitur haec sententia eis quae de principali ancipiti syllaba ex condicionibus spondiacorum verborum perscrutati

sumus: nam illic quoque in paucis locis eandem legem valere vidimus atque omnino in spondiacis vocibus in tertiam a fine sedem recipiendis (cf. Capt. 314 '... illic curaverit'; Ad. 508 '... illaec licentia', alios v.).

Ipse.

Occasione data pauca proferre placet etiam de pronomine 'ipse', cuius priorem syllabam esse habendam inter irrationales quae vocantur Klotzius quidem affirmat (l. s. p. 46), Skutschius autem negat (l. s. pp. 148. 149). Atque illud Skutschio sane concedendum est, quibus argumentis Klotzius innisus demonstrare studeat correptionem nihil fere in hac re profici. Sed ex hoc fortasse versu aliquid lucrabimur:

Hautt. 576 Apud alium prohibet dignitas; apud alium
ipsius facti pudet

'īpsĭ́ŭ́s' pronuntiantes idem metricum versui inferimus vitium atque in Merc. 48, Phorm. 648 'īllĭ́ŭ́s' scandendo. Itaque propius a veritate contractam formam 'ipsi͡us' cum Luchsio substituamus (cf. Luchsium l. s. p. 371). Quod si habet probabilitatem, hoc loco profecto priorem syllabam irrationalem intellegamus necesse est; eodem igitur modo hanc vocem Terentius adhibuit atque cetera pronomina, veluti 'istaec':

Phorm. 638 ..... Quis te ĭ́staec iussit loqui.

III. DE ANAPAESTICIS IN ANTEPAENULTIMO PEDE VOCABULIS.

In hac extrema commentationis parte perquiramus oportet, quasnam leges poetae secuti sint in anapaesticis vocibus vel anapaesto finitis in antepaenultimum pedem iambicorum trochaicorumque versuum admittendis. Quam rem W. Meyerus attigit in disputatione cui inscripsit 'Beobachtung des Wortaccents in der altlat. Poesie' (Abhandlungen d. Kgl. bayr. Akad. d. W. I. cl. XVII. vol. part. 1, 1886), ubi pp. 24 39 poetas in interioribus dipodiarum pedibus aeque evitasse spondiaca et anapaestica verba contendit. Hanc autem opinionem Klotzius acriter impugnavit (Burs. ann. vol. 48. 1886 p. 132 sq.), qui suam sententiam in libro de arte metrica scripto his notavit verbis p. 316: „. . im röm. Sen. ist die Behandlung des Anapästs und des Spondeus eine verschiedene, und wie im Senar, so auch in allen anderen iamb. und troch. Versen"; p. 312: „. . vor allem ist . . zu betonen, dafs der Anapäst, bez. der Choriamb, der in die inneren Stellen 2 Senkungskürzen bringt, wie im griech. Drama, so auch in den röm. Versen ebenso legal ist wie in den äufseren"; p. 316: „Spondeen in der inneren Senkung sind sichtlich schon von Plautus und noch mehr von Terenz gemieden worden. Sie kommen an sich schon viel seltner vor als die Anapästen, —" quod falsissimum esse primo obtutu perspicimus ex verborum conspectu, quem Brugmannus effecit (l. s. pp. 22 35); habemus enim in iambici senarii

	II. pede	IV. pede
spondiaca	voc. 27	32
anapaestica	voc. 17	24

(De hoc Klotzii errore cf. Seyffertum 'Berl. philol. Wochenschrift 1891 col. 926 et Burs. ann. vol. 80. 1884 pp. 277 278).

Et quoniam condiciones quae valeant in vocabulis spondei mensuram aequantibus satis explanasse mihi videor, iam nunc quaerendum est, anapaestica verba in eodem pede collocata aliquamne comparationem habeant cum spondiacis. Qua in re exploranda nos non effugiet sane pleraque ad illorum similitudinem tam prope accedere, ut poetas utrumque verborum genus in tertio a fine pede clare distinxisse vix putandum sit.

I.

Primum enim videmus anapaesticas voces in hoc versus loco illos sibi non indulsisse, nisi ultimos duos pedes explerent uno vocabulo. Quae ratio comprobatur his exemplis:

A. In iambico senario

1. anapaestica verba

a. apud Plautum:

1. Cas. 128 .... numquam edepol ieiunium
2. Mil. 6 .... neve animum despondeat
3. ibid. 1094 .... ut faciam, Palaestrio
4. Poen. 209 .... lepidum spectaculum
5. ibid. 475 .... hominis volatici
6. Rud. 54 .... homines voluptarios
7. ibid. 145 .... Venerem s[p]ectarier
8. ibid. 606 .... iam fieri ferocior

b. apud Terentium:

9. Hautt. 771 .... quod superest fallaciae

c. apud reliquos poetas desunt exempla.

2. vocabula anapaesto finita

a. apud Plautum:

10. Asin. 105 .... insidias devenero
11. Aul. 557 .... praeterea tibicinam
12. Bacch. 152 .... discipulum minitarier
13. ibid. 300 .... continuo: postridie
14. Capt. 671 .... falsidicis fallaciis
15. ibid. 723 .... latomias lapidarias
16. ibid. 725 .... sesquiopus confeceris

17. Cistell. 407 .... schoeniculae, miraculae
18. Men. 254 .... quom inspicio marsuppium
19. Mil. 18 .... paniculum tectorium
20. ibid. 74 .... dinumerem stipendium
21. ibid. 845 .... eiciar cellaria
22. ibid. 1110 .... hospitio devortitur
23. Most. 621 .... perpetior argenteos
24. Pers. 454 .... eveniunt frugaliter
25. Poen. 66 .... surripitur Carthagine
26. ibid. 192 .... munditiis meretriciis
27. ibid. 774 .... compositast fallacia
28. Pseud. 1047 .... insidiis hostilibus
29. Rud. 93 .... detinui diutius
30. ibid. 113 .... praetereat oratio
31. ibid. 473 .... exhibeat negotium
32. ibid. 515 .... magnidicis mendaciis
33. ibid. 855 .... curriculo, Trachalio
34. Stich. 659 .... blanditias, prothymias
35. Trin. 184 .... confiteor, Megaronides
36. ibid. 476 .... praeripiam potissumum
37. [ibid. 788[b] .... attulerit epistulas]
Ritschelius seclusit cf. Trin. ed. 1871.
38. Truc. 93 .... Astaphiumst ancillula
39. ibid. 344 .... obtigerit hereditas

b. apud Terentium:

40. Hautt. 481 .... nequitiem patefeceris
41. Phorm. 590 .... pollicitus sum effecero

c. apud reliquos poetas:

42. Laberius 106 Summissa placida blandiloquens oratio
43. Varro, Sat. Menipp. 6 (B) neque auro aut genere aut multiplici scientia

B. In trochaico septenario et octonario

1. anapaestica verba

a. apud Plautum:

44. Amph. 709 .... superat superbia

45. Asin. 518 .... habeas portisculum
46. ibid. 879 .... si videas, cognoscere
47. Capt. 895 .... te facio cellarium
48. Cas. 535 .... vetulis verbecibus
49. Cistell. 245 .... et meae fidei concredita
50. Curc. 333 .... atque adeo fideliter
51. Epid. 312 .... ratioque, Apoedici
52. Men. 595 .... tres aderant acerrumi
53. ibid. 691 .... in *lo*culos compingite
54. Merc. 483 .... ut peream potissumum
55. ibid. 839 .... nequeas pernoscere
56. Mil. 446 .... retines altrinsecus
57. Pers. 582 .... nam generi lenonio
58. Pseud. 365 ...... fraus populi. || Planissume
59. Rud. 587 .... quam lubuit sententiam
60. ibid. 729 .... vim ioculo pausillulum
61. Stich. 122 .... pigeat postridie
62. ibid. 684 .... hodie convivium
63. Truc. 836 .... *ne* facias iniuriam

b. apud Terentium non exstant exempla.

c. apud reliquos poetas:

64. Accius 360 Haut dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit

2. vocabula anapaesto terminata

a. apud Plautum:

65. Amph. 366 .... compositis mendaciis
66. frgt. XIV (p. 54 G.-Sch.) . . Amphitruo decernere
67. Asin. 263 .... auspici*oque* intellego
68. Bacch. 1119 .... comminui securibus
69. Capt. 816 .... surpiculis piscariis
70. ibid. 817 .... exhibeant molestiam
71. ibid. 878 .... condecoret cognomine
72. Cas. 376 .... eveniet, gaudebimus
73. ibid. 966 .... considium captavero
74. Cistell. 62 .... stultitiam sepelibilem

75. ibid. 783 .... conficient negotium
76. Curc. 567 .... obicio, mastigia
77. Epid. 230 .... linteolum caesicium
78. Men. 200 .... *Hip*polyta subcingulum
79. ibid. 841 (842) ..... lampadib*us* ardentibus
80. ibid. 1072 .... exhibui negotium
81. Merc. 851 .... abicio superbiam
82. Mil. 602 .... surripitur saepissume
83. Most. 1174 .... verberibus subegero
84. Poen. 346 .... constiterit lymphaticum
85. ibid. 510 .... lorípedis, tardissumos
86. ibid. 927 .... consilium vernaculum
87. Pseud. 675 .... surruperem mulierculam
88. ibid. 725 .... principium prehenderit
89. Rud. 738 .... in*genu*is parentibus
90. Stich. 276 .... laetitia lubentiaque
91. ibid. 760 .... occupito cinaedicam
92. Trin. 334 .... deliciis disperdidit
93. ibid. 880 .... expediam potissumum
94. ibid. 931 .... mirimodis mirabiles
95. ibid. 951 .... commemoras epistulas
96. ibid. 1021 .... ferriteri, mastigiae
97. ibid. 1124 .... obiciunt incommode
98. ibid. 1128 .... consului fideliter
99. Truc. 892 .... conficiam fallaciis (codd. 'confectum')

b. apud Terentium:

100. Hautt. 320 .... multimodis iniurius

c. apud reliquos poetas:

101. Laberius 34 Me a matronali pudore prolubium meretricium

C. In iambici octonarii sexto pede:

102. Epid. 195 ...... per urbem totam hominem quaesiveris
103. Pseud. 158 .... praeficio provinciae
104. Phorm. 483 .... aut moriar sententiam
105. Novius 89 ..... heredem desubito divortium

106. Aul. 443 Ego te faciam miserrumus (iamb. dim. cum clausula Reiziana.)

Varro, Sat. Menipp. p. 99 I. (Riese):

107. Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus

Quae verba Buechelerus l. s. v. 24 soluta oratione praebet. At cum omnia usque ad 'suffigimus' octonarii numeros facillime induant, equidem non video cur non restituamus versum. Itaque faciam cum Riesio, qui optimum iambicum tetrametrum effecit (Vahlenum secutus cf. 'In M. Ter. Varronis reliquias coniectanea' a. 1858 p. 213). —

Sequuntur Publilii Syri aliorumque sententiae:

p. 93, prov. 56 (Friedrich):

Ex communi facere proprium principium est discordiae

p. 94, prov. 94:

Venia, non poena peccatum corrigere est clementiae

p. 103, prov. 262:

Optimum civilis belli praesidium est oblivio

In Woelfflini ed. (1869) p. 84, 282:

Incertus animus dimidium est sapientiae

(Friedrichius scripsit cum codice p. 53, I 52: 'remedium est sapientiae'). —

Inter haec exempla pauca conspiciuntur, quae elisas voculas veluti 'est, que' anapaesticis verbis suffixas exhibent: Poen. 774, Truc. 93, Epid. 312, Asin. 263. Quos locos compares velim cum illis de quibus supra disputavimus spondeis, — ut Amph. 100 'praefectúst legionibus' (cf. pp. 22. 23). —

II.

Videamus nunc reliqua. Neque enim desunt versuum contraria specie exempla, quorum extremi duo pedes plus uno vocabulo comprehendant. Ex his autem permulti eandem sibi adsciscunt excusationem, quam in spondiacis verbis agnovimus: i. e. artissimam vocabulorum copulationem, quae anapaestum subsequuntur. Quorum imprimis offensione caret hice locus:

Rud. 1243 ..... dote abeat quam advenerit

Nec magis temptanda esse haec exempla mecum consenties, ubi 1. substantivum cum praepositione coniunctum versuum finem occupat (cf. p. 35):

Mil. 29 .... per corium, per viscera

ibid. 1125 .... quin potius per gratiam

Most. 3 .... permities, ex aedibus

Caecilius 59 Quid narras, barbare, indomitis cum moribus

His addere mihi liceat iamb. octon.

Eun. 301 ...... qui me hodie remoratus est

2. in ultimis duobus pedibus verba et particulae coniunctivae vel procliticae leguntur:

Epid. 148 ...... me interimam? || Ne feceris

(idem exitus Men. 415)

Epid. 446 .... deterior si praedicat

cf. p. 38: Asin. 800, Truc. 482. Vix igitur nobis probatur Brugmanni transpositio (l. s. p. 51): 'si deterior praedicat'. Ac ne in his quidem verborum ordinem institutum turbabimus:

Aul. 523 .... ni metuam ne desinat

Trin. 323 .... pertegito, ne perpluant

Eun. 859 .... me contineo quin involem

Eadem ratione recte fortasse interpretamur

Pseud. 555 ... Namque edepol, si non dabis

Bacch. 90 .... adfueris, si non lubet

Eun. 862 .... furcifero, si id fecerim

cf. Phorm. 911 '.. populi, inquit, si id feceris' (pp. 60. 61.)

Cas. 771 ...... dissimulant, quasi nil sciant

cf. Mil. 820 '.. quom stertas quasi sorbeas' (p. 38.)

Cas. 373 .... nec facio neque censeo

Curc. 483 .... vel lanium vel arsuspicem

de his versibus conferas quos locos composuimus p. 37.

3. Ut spondeo ex arto ultimarum vocum conexu excusationem paravimus, si exclamandi vel similem dicendi formulam significant, ita ob eandem causam poetas anapaesti licentiam sibi sumpsisse cogitari licet in his qui sequuntur locis:

Curc. 44 .... hic habitat? || Recte tenes.

Cas. 422 ... ut properent. || Numquid moror?
Epid. 692 .... te rogitare. || At nil scies.
Andr. 496 ... num veritu's? quid re tulit? (iamb. octon.)

Huc spectant nonnulli versus, de quibus infra agetur:

Capt. 881 ...... surripuit? || *Ναὶ τὰν Κόραν.*
Men. 510 .... surrupui. satin sanus es?
Trin. 583 .... conveniat. || Quin tu i modo.

4. Quae nunc afferamus exempla similiter ita se habent ut anapaestum excipiant vocabula cum pronomine quovis arte copulata; in his igitur idem valet quod de spondiacis verbis iudicavimus p. 43 sqq.: pronominis enim inclinatione quasi una vox efficitur ultimos duos pedes amplexa. Itaque anapaesti offensio plane dilabitur in hisce versibus:

Merc. 705 .... iam rediit uxor mea
Pers. 579 .... vendidero pretio suo
Aul. 464 .... subriperent misero mihi
Trin. 918 .... egomet memini mihi
Truc. 431 .... paeniteat mittas mihi
Stich. 262 (263) ..... Haec eadem dicit tibi

Quorum ad similitudinem compositus est spurius Rudentis v. 27 '.. inveniet veniam sibi'.

Porro sub eandem fere regulam redigenda videntur pauca exempla quae ita legimus:

Men. 873 .... quam valuit paulo prius

(cf. Men. 681 ... ut ferres, paulo *pr*ius)

Pers. 639 .... atque equidem miseret tamen
Poen. 51 .... sin odiost, dicam tamen
Ennius p. 154, 207 Vahl. = Trag. R. fr. 175:
Quae tibi in concubio verecunde et modice morem gerit

Quibus dubitanter quidem hos adiecerim versus:

Truc. 429 .... attulerit, boni consulas
ibid. 286 .... ni properas grandi gradu
Mil. 31 .... operae pretium quidemst

in hoc versu 'operae pretium quidemst' non minus arte cohaeret quam 'quid multis verbis opust?' in Men. v. 484. Cete-

rum 'operae pretium' legitur Poen. 1174: 'Fuit hodie operae pretium quoivis'. —

5. Veniamus ad ea exempla, quae encliticas voculas ostendant anapaesticis verbis suffixas.

Trin. 139 .... melius rem gesserit

(nisi 'rem gesserit' unum vocabulum intellegis.)

Hec. 826 Dic mi. ille alias res agere se
Asin. 449 Quam mox mi operam das? || Ehem, optume
Eun. 880 .... ingenio sum, Chaerea
Hec. 63 .... Ergo propterea te sedulo
Eun. 570 .... submonuit me Parmeno
Pers. 282 Caedere hodie tu restibus
Poen. 1335 1384 ... hominem, quem noveris
Merc. 453 .... credo aliquem qui non velit
Carm. Lat. Ep. 64, 4 B ... eveniant tibi et tuis

Huc fortasse pertinent:

Hautt. 982 ...... consilio quicquam adiuvas
Ennius p. 165, 261 Vahl.:
Multi qui domi aetatem agerent propterea sunt improbati.

6. Ut spondiaca vocabula composita poetae in tertio a fine pede non defugerunt, ita tolerasse eos credibile est anapaestos similiter conformatos (cf. pp. 24. 25). Quam rationem comprobant haec exempla:

Epid. 690 .... nescioquam fabricam facit
Merc. 641 .... nescioquem memoras mali
Pseud. 693 .... nescioquem secum simul
Hec. 319 .... nescioquod magnum malum
Pers. 706 ...... multimodis scriptumst tuom

Similem anapaesti condicionem videmus in

Merc. 539 Neque est neque erit. || Nolim quidem
Most. 170 Ita me di ament, lepida*st* Scapha
ibid. 182 Ita tu me ames, ita Philolaches

Deinde non vexabimus anapaestica verba, quae in eodem pede trochaicorum septenariorum occurrunt quos vocamus acatalecticos:

7

Epid. 77 .... te cupio perire mecum
Pers. 15 ... Congrediar. || Contra aggredibor
ibid. 202 .... puero peior perhibetur
Pseud. 173 ..... deliciisque aetatulam agitis

Cum hac observatione congruunt quae supra diximus de Hec. 289 '.. facto essent multo ampliores' (p. 63) et de spondeis anapaestisque, qui obviam sunt in secundo pede iambicorum septenariorum synartetorum (cf. pp. 25. 26).

7. Sequuntur pauca anapaesticarum vocum exempla, quorum in promptu mihi non est idonea explicatio. Neque tamen sollicitandum esse puto hunc locum:

Merc. 846 .... laetitiam, ludum, iocum

cave transponas 'ludum, laetitiam, iocum', quod certo abhorret a loquendi consuetudine, ut ex his potissimum versibus colligitur:

Eun. 300 Ludum iocumque dicet —
Capt. 770 Laudem, lucrum, ludum, iocum

Ad illius fortasse similitudinem revocamus hunc versum:

Bacch. 246 ...... Mnesilochus? || Vivit, valet

(de his locis cf. p. 43).

In nonnullis exemplis, quae legi obstant, linguae metrique necessitatem non denegabimus:

Aul 365 .... in puteo cenam coquant
ibid. 421 Pol etsi taceas, palam id quidemst
Cas. 791 ...... Nil equidem speculor. || Abi
ibid. 849 .... non cubito, verum ariete
Poen. 30 .... pueri pereant fame
Epid. 591 .... quae didici, dixi omnia
Eun. 838 .... quom aspicias, os inpudens
Novius 61 Instat mercaturam: spero rem faciet: frugi est homo
Epid. 640 ... in digitum? || Memini, mi homo
Pers. 654 ... abs te redimet. || Quid nunc? || Quid est?
Hec. prol. II, 31 .... intera rumor venit
Aul. 102 .... adiit, quamquam propest

ubi Leonem secutus scripserim praesens 'adit', siquidem veteres poetae perfecti et praesentis tempora creberrime adhibere

videntur promiscue. — In Aululariae v. 365 excusaverit quispiam anapaestum ex arta verborum copulatione 'cenam coquant', praesertim cum eadem finem occupent in Pseud. 796 854 Stich. 598 609. Unus autem versus exstat, ubi poeta de industria ut defugeret anapaestum ab usitata verborum consecutione recessit: Rud. 1264 '.. cenam continuo coqui' (pro 'continuo cenam coqui'). Quodsi in Aul. 365 anapaesticam vocem non evitavit, nulla de alia causa hoc factum esse apparet nisi propter linguae necessitatem; neque enim omnino data est alia verborum collocatio. — Cas. 791 Brugmannus ita emendari vult 'nil quidem speculor || Abi' (l. s. p. 41). Tradita autem verba defendes si contuleris Men. 610 'Nil equidem paveo . . .'

8. Denique in fine constituamus paucos locos, quorum difficultates alium in modum facile expediantur:

Cas. 1007 . . . . Tuaen fĭdĕī credo? || Meae

ubi vetusta forma 'fĭdē' his versibus confirmatur:

Aul. 676 . . . . potius credam quam Fide
Poen. 890 . . . . Fide non melius creditur
Trin. 117 . . . . mandatus est fide et fiduciae
(conf. Brixium ad Trin. 117.)

Trin. 847 . . . . dăt hŏmĭnī misero mali

Nihil obstat quin legamus 'dăt hŏmini' (conf. C. F. W. Muelleri pros. p. 60).

Epid. 279 Vbi erit empta, ut aliquo ex urbe | amoveas, nisi quid tua

Displicet propter hiatum in caesura; idcirco Leo proposuit '. . . ex urbe amoveas, nisi quid *est* tua'.

Aul. 291 apud Gellium (III, XIV. 15) invenimus eumque discrepantem a Plauti libris: 'iussit dimidium dari' (P: dimidium iussit dari). Itaque cum Leone Gellii lectionem anteferemus. Stich. 390 codices inter se differunt: A 'Pamphilum || Non || Non adest'; P 'Pamphilippum || Non || adest'. Leo in textum recepit Ambrosiani lectionem. Goetz-Schoell in min. ed. scribunt: 'Pamphilippum? || Non. || Non adest'.

Pers. 385 Tace, stulta. non tu nunc hominum mores vides Suspicionem movet ob malam caesuram; rhythmis succurrit Brugmannus (l. s. p. 41) ita coniciens: '...... non nunc hominum tu mores vides'. Sed scripseris non minus leni usus transpositione: 'Tace stulta. non nunc tŭ hŏminum mores vides'.

Hec. 561 Peccatum: aderam, quoius consilio par fuerat ea prospici

Dziatzko intulit anapaestum contra omnium librorum fidem: A 'EAPARFVERAT'; rell. 'fuerat ea par'.

In Phorm. v. 190 ambigimus quomodo legendum sit; Dziatzko et Hauler libros secuti sic scribunt:

'.......... atque hinc me conicerem protinam in pedes' (codd: 'protinus'; sed cf. quae adnotat Haulerus ad h. v.). Ad hanc metricam offensionem altera accedit ut anapaestus anapaesto excipiatur (cf. Kraussium in mus. Rhen. vol. VIII. 1853 p. 550). Bentlei autem transpositionem 'protinam conicerem in p.' vix probabimus hunc versum respicientes: Bacch. 374 '.... contuli protinam in pedes'. Sed metri vitium in Phorm. 190 ut tollamus, sic traicere possumus: '..... atque hinc conicerem me protinam in pedes'. Eandem enim caesuram habemus Phorm. 199 327. Similiter verba distribuit Ennius p. 149, 183 Vahl.: '.... derepente contulit sese in pedes'.

Magis autem inclinat animus ut Terentium pronuntiasse opiner '... cŏnĭcerem protinam in pedes'. Namque sane adsunt talis pronuntiationis vestigia; conferas velim

Rud. 769 .... barba arripiam, in ignem cŏnĭciam

Merc. 932 .... Quin, pedes, vos in curriculum cŏnĭcitis

(cf. Lindsay l. s. p. 225).

Deinde simili fortasse explicandi ratione uti licet in hisce exemplis:

Bacch. 144 ...... quo eveniat dis in manust

ibid. 348 ..... ut conveniam quantum potest

Curc. 271 ..... tibi eveniat magnum malum

Most. 58 . . . . eveniat prius quam mihi
ibid. 395 . . . . quo eveniant, madeo metu
Pers. 629 . . . . eveniant operam addito
Trin. 583 . . . . . conveniat. || Quin tu i modo

In his enim omnibus Leo restituit formas '-venat' '-venant'. Cui facile astipulabimur nonnullos respicientes versus, ubi metro flagitatur '-venat' veluti Trin. 41 Epid. 290 Mil. 1010 Rud. 626, codicibus autem plenior forma exhibetur. Neque scio an eodem iure breviorem recuperemus formam in his exemplis:

Men. 1138 . . quoi pallam surrupui dudum domo
Men. 510 . . . . surrupui. satin sanus es
Capt. 881 . . . . . . surripuit? || *Ναὶ τὰν Κόραν*

'Surpui' cotidiano sermoni comoediae tribuendum esse iam Skutschius commonefecit (l. s. p. 46[2]) versibus Capt. 8, 760 allatis; in utroque enim loco codices praebent 'surripuit'. Quibus accedit imprimis Rud. 1105, quem versum Hermannum et editores secuti ita legimus:

Haec Athenis parva fúit virgo surpta. || Dic mihi

Quae ratio si probatur, difficultates facile expedies in

Stich. 490 At ei oratores sunt populi, summi viri

Hic enim vocalis syncope quam dicimus adhibita Leo commendat ut legatur 'popli'. Quod comprobatur versibus Amph. 190 Pseud. 1129, ubi libri exhibent longiorem formam, quamvis numeri alteram postulent. Goetzius tamen servavit plenam formam Poen. 227 Pseud. 1129. —

De Syri sententiis hoc monendum est perpauca omnino anapaestorum exempla exstare, quae aut servent regulam aut deserant, cum spondiacorum verborum utriusque generis magnam invenerimus multitudinem (cf. pp. 15—17; 30, 31). Contra illa enim 3 exempla legitima (p. 94) habemus 5, quae extra regulam composita sint:

p. 74, S 20 . . . . velle alium poena sua
p. 91, 136 . . . . quam invidiam dives fugit
p. 95, 127 . . . . quem incipias, post oderis

p. 98, 80 .... condoluit nisu latus
p. 107, 377 .... si sapias, nil est grave

Sed iam ad finem perduximus dissertationem nostram. Atque ut universum de tota quaestione feramus iudicium, hoc erit: veteres Romanorum poetas certos fixosque terminos aeque constituisse in spondiacis et anapaesticis verbis in tertium a fine pedem admittendis. Quos imprimis illam normam sibi sanxisse videmus, ut spondeum vel anapaestum uno longo vocabulo sive artissima verborum copulatione exciperent, quibus expleantur ultimi duo pedes. Hanc consuetudinem si sola linguae necessitate deduceremus, minime iustis laudibus efferremus Plauti elegantiam, quem latissime illam licentiam sibi concessisse ostendimus. Immo vero hanc legem, qua Plautus ceterique in spondeo et anapaesto usurpandis se coercuerunt, inter gravissimas habeamus necesse est quae valeant in iambica veterum Romanorum poesi. Et iam antiquissimis litterarum temporibus eiusmodi verborum usum poetas illis condicionibus circumscripsisse, optime elucet ex Livii Andronici versu 40 R:

Puerarum manibus confectum pulcerrume.

Ex omnibus autem, qui coluerunt veterem senarium, unus solus exstat, qui prorsus evitasse videtur spondeos anapaestosve in interioribus dipodiarum locis, — Phaedrum dico. Quem etiam iis in versibus, ubi quintum et sextum pedem una voce occupaverit, non invitum defugisse spondiaca vel anapaestica verba dilucide perspicimus ex his exemplis:

Phaedr. 57, 4 (Havet) Quae genus utrumque nosset qum pulcherrime

(non: qum nosset pulcherrime)

19,5 Onus naturae melius quo deponeret

(non: quo melius deponeret)

108,6 In disciplinam nuper quem receperat

(non: quem nuper receperat)

117,5 Si repperisset aliquis hanc prudentior (non: hanc aliquis prudentior)

118,10 Monumentum iuxta mulier quo se incluserat (non: quo mulier se incluserat). Quae cum ita sint, per se explicatur ne pronominum quidem enclisim Phaedrum duxisse idoneam spondei excusationem, ut ex hoc versu apparet:[1])

102,3 Monstrabat vitulus quo se pacto flecteret (non: quo pacto se flecteret).

Quare aut cum Luciano Mueller secludamus epimythii versum I, 13. 13 (M): 'Hac re probatur ingenium quantum valet' aut Havetum secuti[2]) scribamus 14, 13: 'Hac re probatur, quantum ingenium polleat'. Neque dubium est quin recte iudicaverit Havet l. s. p. 176 § 37: „Perotti est 112, 5 '... ingenii fiducia est' pro 'ingeni', ut in exitu versus 'imperii' 113, 31."

---

[1]) Non repugnat 15,8 'Miscere antidoto in illius se toxicum', ubi 'illĭūs' in iambum desinere Havet recte monuit l. s. p. 216, § 89.

[2]) cod. Pith.: 'quantum ingenium valet'.

VITA.

Natus sum Hermannus Guilelmus Theodorus Hingst a. d. III. Non. Mai. anni 1877 Zschochaviae in vico Saxoniae patre Hermanno verbi divini ministro, matre Gertrud e gente Kuehn, quos ambo mihi adhuc superstites esse magnopere laetor. Fidem profiteor evangelicam. Primis eruditionis elementis pater me instruxit; tum humanitatis studiis instituendus gymnasio regio Dresdensi traditus sum, cuius in quartum ordinem a. 1890 me receperunt. Examine pro maturitate academica superato vere anni 1897 almam matrem petii Lipsiensem, ut studiis philologis operam navarem. Atque postquam per sex semenstria hic omnia mihi prospere cesserunt, aestate anni 1900 gravissimo implicatus sum morbo, quo studia intermittere domumque regredi cogerer, ubi miserrimam ob corporis infirmitatem vitam traxi. Illis autem temporibus mihi exstiterunt adiutores duo viri quos grato semper animo prosequar Ricardus et Georgius Hesse Dresdenses medici peritissimi. Quorum alter chirurgica arte semel iterumque adhibita effecit, ut ex corporis cruciatibus recreari inciperem sensim quidem ac pedetemptim. Atque vere huius anni Lipsiam redire mihi licuit, ubi litteris studere perrexi.

Docuerunt me et ante et post morbum viri humanissimi Birch-Hirschfeld, Brugmann, Cichorius, Elster, Gardthausen, Heinze, Holz, Hofmann, Immisch, Iungmann, Koester, Lamprecht, Lipsius, Marx, Martini, Ribbeck (†), Richter (†), Schreiber, Studniczka, Wachsmuth, Witkowski, Wundt. Sodalis fui ordinarius proseminarii philologi moderante Immisch per bis sex menses, seminarii philologi moderantibus Lipsio, Marxio, Wachsmuthio per duo semenstria. Ut in seminario

historico tria semenstria versarer Cichorius et Gardthausen benigne permiserunt. Etiam ad societatem historicam aditum mihi aperuit Cichorius, Marx ad exercitationes quas de arte metrica instituit. In seminarium paedagogicum hoc anno Iungmann me recepit.

Quibus litterarum praeceptoribus cum omnibus tum Cichorio, Lipsio, Marxio, Wachsmuthio summas ago gratias. Plurimum vero me debere pio animo confiteor Friderico Marx, qui eximiam semper benevolentiam in me contulit.

Denique gratissimum me habebunt debitorem amici philologi Lipsienses, qui consultores studiorum rerumque adversarum socii mihi adesse numquam destiterunt.

DATE DUE			